



O' CONNOR BONAVENTURA, *Quintuplex pentekaedechyris Mariana id est navicula doctrinalis quintuplicis classis quindecim ordinum, cuius prora quindecim remis testimoniorum ss: Scripturae cuius ratis quindecim remis authorit. summ. pontif. cuius carina quindecim remis authorit. ss. Patrum. cuius puppis remis quindecim rationum. cuius tristega quindecim regulis iuris adornantur; quibus B.V. conceptio immaculata probatur, & illaesa praeservatur, a spumis & vorticibus immundi oceani peccati originalis*, Trento, Carlo Zanetti, 1658.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, TT I k 215

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/193>





STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.


Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.





TT K 363





BIBLIOTECA



III
246



Quintuplex
PENTEKÆDEKYRIS
M A R I A N A .

*Omni-
bus immaculata Concept: B. Virg:
deuotis, Lectoribus, defensoribus,
concionatoribus, utilis &
iucunda.*

52301

III
140



Quintuplex
PENTHEDEKARYS
MARIANA.

Quibus immo dicitur (scilicet) B. Virg.
honoris, laboribus, deservitoribus,
consecrationibus, etc. etc. etc.

Quintuplex
PENTEKÆDECHYRIS
M A R I A N A

Id est

Nauicula doctrinalis quintuplicis classis quindecim Ordinum, cuius prora quindecim Remis Testimoniorum SS: Scripturæ. cuius Ratis quindecim Remis authorit. Summ. Pontif. cuius Carina quindecim Remis Authorit. SS. Patrum. cuius puppis Remis quindecim Rationum. cuius Tristega quindecim Regulis Iuris adornantur; quibus B. V. Conceptio immaculata probatur, & illæsa præseruatur, à spumis & vorticibus immundi Oceani peccati originalis.

Authore M. V. P.

F. BONAVENTURA O CONORO
Kierix Momoniensi Hyberno.

*Eulsani in Prouincia Tyrol. Ord. Min. Strict. Observ.
SS. Theologiæ Lectore.*



TRIDENTI, Ex Typographia Episc. Zanetti.

Superiorum permissa. M DC LVIII.

Illustrissimis Dominis,
Reuerendis. Domino D.
IO. GEORGIO TRAPP,

*Canonico Cathed. Eccles. Brixin: Camerario &
Consiliario Illustriss. & Reuerendis. Ar-
chiepiscopi & Principis Salisburg:
eiusdemq. Germano*

Illustriss. Domino D.
CAROLO TRAPP,

*Sereniss. Ferd. Caroli Archiduc. Austriae Camera-
rio, S. R. I. Comitibus in Matsch, Churburg, Pisein &
Schvramburg, Hereditarijs Aule Comitatus Tyrolen-
sis Praefectis Maioribus, Dominis Dynastiae in Vltens,
D. Patronis meis gratiosis & Obseruandissimis.*

F. BONAVENTURA O CONORVS
Franciscanus SS. Theol. Lector, D.D. æter. pœc. fel.



*P*ropensio adeò apud omnem crea-
turam prodiga quod apud nul-
lam nisi raro aut nunquam par-
ca, quia omnibus generaliter in-
dulta, nulli specialiter reseruata, ad tri-

placem declinat humanam occupationem, ad accipere beneficium, reddere debitum, fugere supplicium; ad tertiam urget innata ab incommodo auersio, ad commodum affectio, ad primam autem me continuo inuitat vestra generosa dignatio, liberalis largitio, heroica affectio, ad secundam me instigat mea erga Vos per tot annorum curricula obligatio, plurium beneficiorum receptio, debita pro iisdem gratiarum actio, qua sane plus narrare quam recompensare, plus me debere quam soluere valere, plus obligatum contribuere quam potentem retribuere protestantur; ab octennio enim & ultra erga me opere firmastis, quod Cassiodorus olim lib. 5. Epist. 9. quasi oraculum dicta esse refertur, nimirum pietatis plenum esse peregrinum beneficijs obligare, aduenam vt indigenam tractare, subsidijs vbi occurrerit indigentem subleuare, & iam in amicitia inueteratum, amore solari; hęc autem

rem omnia ab Illustriss. DD. V. V. in me
ad excessum collata fuisse non solum testa-
bitur omnis aetas, & sexus in foro, & in
atrio, ruri, & in hac Urbe, sed id etiam
definitiuo Philosophorum dogmate compro-
batur dicentium, veram amicitiam exhiberi
dum amicus honoratur in praesentia,
laudatur in absentia, subleuatur in indi-
gentia; primi generis pensum, ad omnium
aedificationem, Dei obtinendum benedictio-
nem, vniuersim religiose toga soluere, Sa-
cerdotio superno praestare, Vobis est à be-
neuolentia liberale, ab infantia connatura-
le, à religiosa reuerentia speciale; secun-
dum autem fuit Vestrae innatae Urbanita-
tis, & rarae erga me charitatis generosa di-
gnatio. Tertium autem fuit Vestrae catho-
licae pietatis compassio & Christianae chari-
tatis in pauperem effusio, vt ruminare vi-
derentur quod Abbas Cellen. L. 5. Ep. 21.
ad amicitiae complementum suavitatis dicens, si-

ne profunda radice, amicitia accidens est,
non substantia, unde nihil magis solaba-
zur haëtenus me elinguem, tot beneficia re-
cipientem quam aurei Chrysostomi senten-
tia. Optima inquit beneficiorum custos est
ipsa memoria beneficiorum & perpetua con-
fessio gratiarum. Cum ergò iam hoc opu-
sculum praelo paratum Deo cooperante B.
Virgine suggerente compleuerim, certè non
alteri consecrare volui quam ut potui,
nec potui quam ut debui Illustriss. scilicet
DD. V. V. Illustrissima generatione, Im-
periali natione, Catholica Religione, vir-
tuosa educatione verè Germanis: quibus
non reddo beneficium sed debiti soluo pen-
sum seruitij, iam Vestrum iure, quod ha-
ëtenus dilatatum est, temporum & occupa-
tionum iniuria, plusquam obligati incuria,
ut autem pensum hunc perennet aeternitas,
beet Diuinitas, collustret Maestas, puri-
ficet Virginitas, preseruet potestas, ecce

deuotis Deiparam, Imperialibus Augu-
stam, Innubam innuptis, generosis Heroi-
dem, illibenter nocuis originaliter & actua-
liter innocuam, cœlitus regendis, cœlicam Re-
ginam, singulari delectu, rationabiliq. af-
fectu, offero adorandam, propono colen-
dam, porrigo defendendam, hac enim de
causa uti in pluribus, ita in Vobis.
Stat fortuna domus & aui numerantur
auorum. Nam ut testatur Sanctus Ber-
nardus apud nostrum. S. Bernardinum
Senensem. Nulla gratia venit de celo in
terram nisi transeat per manus. Mariæ.
Quot autem gratiarum genera cōtulit Deus
per manus Mariæ Illustriss. DD. V. V.
breuiter recensendo, licet audire. Vtraq.
enim Illustrissima Dominatio Vestra Ma-
iorum gloria est eximia, heroica vetusta-
tis profapia fata, honorifico eiusdem patri-
monio prouisa, celesti pietate, & uirtute mi-
licari, laudabilissima in P^rincipes fidelita-

te adeò clarescens ut alijs ad Pompeiam
sufficerent ambitionem quæ Vobis famulan-
tur ad Maiorum virtutum imitationem,
unde si per Vestram modestiam liceret,
quadrare certè posset illud Tertul. lib. 1. de
pal. cap. 1. ad Affricanos dicentis: Prin-
cipes Affricæ vetustate Nobiles, nouitate
fœlices. Altera autem gratia teste Salomo-
ne Sap. 8. Est animam sortiri bonam in-
genio docilem, indole subtilem, quam certè
Vos à primis elementis ludi litterari proba-
stis, acceptam, dum ex imis & mediastinis
ad prima subsellia emergentes, è classe in
classem gradum fecistis, e rostris Tullianis
in stagyreorum lyceum, exinde in Iustiniani
dicastria, dehinc in amœna historicorum
penetralia penetrastis, ut iam oblitis in-
fantia crepundijs, deposito iuuentæ sago
sumptaq; virili toga, malle viderentur
equestrem nobilitatem posteris parere pro-
pria virtute, quam in accepta à parentibus

gloriarī, à cui simili multi recedunt non re-
gionibus sed moribus separati, non terris
sed studijs discreti, non à statu, sed à Co-
gnatis virtutibus elongati, prudenter ergò
rogastis, constanter obseruastis, sapienter
cum Chrysostomo iudicastis, potius esse, vt
in Vobis parentes, quam Vos in illis glo-
riemini sapientissimo subscribentes Vlyssē
dum ait :

Et genus & Proauos & quæ non fecimus ipsi.
Vix ea nostra voco.

Sic enim Maiorum Vobiscum virtus
verius concreuit, amplius succreuit, glo-
riosius increuit, vt inde iam libentius in
Vobis laudetur foris comitas, domi probi-
tas vbiq̃ue morum integritas, in prospere
humilitas in aduersis magnanimitas in
conuentu consilij maturitas, in necessita-
tum occurſu singularis ad Deum recursus
& ergà Dei Genitricem pietas; vti an-
nuo olei impendio lampade argentea, singu-
lis


lis sabbathinis ad honorem B. Virginis Au-
xiliatricis accendendo sepius obseruavi,
& iustus lau laui. Cum hoc ergò opuscu-
lo eò libentius appareo, confidentius compa-
reo illud Illustriss. DD. VV. consecrans,
id Vobis veluti de Thymo legens florem,
aut de testa nucleum, aut de littera sapo-
rem, quo Illustriss. DD. VV. originalis
puritas B. Virginis sapidius arridebit, te-
naciùs inherebit, clariùsq; apparebit, ad
Vestrum augmentum meritorum, B. V. de-
corem, Dei honorem, cui sit laus & gloria
in sacula saculorum. Amen.

Valete Bulsani ad S. Franciscum nono
Kalendas Maij S. Georgio Martyri sa-
cro 1658.





Prologus ad Lectorem .



D pleniorē sinceritatē infor-
mandi beneuolum Lectorem,
eius affectum intensum, & intel-
lectum intentum, ad sequentia,
exopto .

Primo, Si sapientis est, sa-
pientiam omnium antiquorum exquirere, si ver-
tutias parabolarum penitiori introire ingenio, &
in Prophetis diuino pneumate sufflatis, doctè &
contemplatiuè ponderando vacare, vt communis
tenet animorum consensus, cum Ecclesiastico c.
39. Et si sapientia ex Ethimologia nominis est sa-
pida scientia, qua sapit bonum in se, vt inquit
Scotus Doctor subtilis, Theologorum Princeps,
in 3. d. 34. q. vnica. hinc non immerito vniuersa
illa mundi historia in sexta ætate fol. 321. Eun-
dem Scotum velut alterum sapientiæ Apollinem
honorasse, & præ ceteris Theologis subtilissima
quzdam

Au-
aui,
scu-
mpa-
ans,
rem,
sapo-
inalis
t, te-
, ad
V. de-
gloria

nono
ri sa-

pro-

quædam opera edidisse enarrat, vt testatur Illu-
strissimus, & ornatissimus, Dñs Nicolaus Vernulgeus
primus in Vniuersitate Louaniensi eloquentie
Professor: Nam, vt cætera eius sapientiæ opera
& dogmata præteream, hoc ipsum eius dogma de
Immaculata Conceptione, ita est sapientia om-
nium palato sapida, vt ausim vsurpare illud Boet.
lib. de hebdom. quod scilicet sit nunc temporis
communis animorum conceptio & consensus. Et
cum pro hoc dogmate sint testimonia SS. PP. &
DD. per quindecim sæcula, vt constabit ex tertio
Rosario, hinc liquidò apparet quam improbo la-
bore & aequino ingenio, sapientiam antiquorum,
sapientissimus ipse libauerit, exquisierit, & pene-
trauerit.

Secundo, Constat verissimum esse, quod Illu-
strissimus Archiep: Cauellus in suo Rosario ait;
scilicet Scotum non fuisse huius pijsimæ sententiæ
inuentorem, sed restauratorem & renouatorem,
quandoquidē tantæ antiquitatis sit, vt ab Aposto-
lis inclusiue vsq; adhuc, per quindecim sæcula SS.
Apostol: PP. & DD: vnanimi sensu, ore, & cala-
mo, approbata & munita existat.

Tertio, Constat quàm verum, quàm notabile,
& quàm utile sit, affectu ruminare, & intellectui
imprimere dictum S. Bonauenturę in Psalterio
B. V. vbi de eadem sic ait: Beati qui conceptum
& partum illius venerantur, quia vt testantur Ma-
gnesius Episcopus Dunensis in Apologia pro Sco-
to

to cap. 10. Brizenus in vita Scoti d. 21. num. 4. 3.
Nitela Franciscana pag. 67. B. Amadæus, qui flo-
ruit anno 1464. in sua Apocalipsi raptu. 2. & 8.
refert, quod Angelus tunc apparens & ipsu. n. eru-
diens in difficultatibus circa Venerabile Sacra-
mentum, cum insuper admonuit, vt etiam in dif-
ficultatibus quibusdam occurrentibus Scoti do-
ctrinam consuleret dicens. Sentias de ipso secun-
dum quæ scripsit vnaus Doctor Ordinis tui, qui est
plenus sanctitate, quia primus (scilicet in defen-
dendo publicè) gladium suum exemit pro Con-
ceptione Immaculata V. M. & Reginae nostræ, &c.
nec mirum, nam ad ædificationem Corporis Chri-
sti Deus dedit quosdā Doctores ex 4. ad Ephes. Et
paulo infra, idem Beatus Amadæus testatur, quod
Angelus ostendit ei eundem Doctorem, Ioannem
Scotum nuncupatum, in capite Beatorum diade-
mate coronatum, & Doctorum Aureola redimi-
tum, de quo postea Angelus loquens ad Beatum
Amadæum sic ait, amicus noster est, quem Regina
nostra multum diligit, quia eam publicè defendit.
Vide Annales Minorum ad annum 1308. num. 43.
Ecce vt obseruat S. Bonauentura Serm. 1. de As-
sump: quomodo B. Virgini nec facultas, nec vo-
luntas desit, adimplendi, quæ cultoribus suis spo-
ndit dicens, Ecclesiastici. c. 24. qui elucidant
me vitam æternam habebunt, &c. iterum erga
eandem Immaculatam Conceptionem, pius le-
ctor accendatur affectu, illuminetur intellectu, vel

maximè exinde, quod Deus ipse de Cœlo testimonium perhibuit pro Immaculata Conceptione; nimirum plurima miracula in eius cōfirmationem patrando, vti infra patebit in prima ratione. Ros. 4. Miracula autem sunt magna testimonia Dei pro aliqua veritate patefacienda in hoc mundo, vt testatur Christus Ioan. 5. quæ miracula & testimonia Deus nunquam facit nisi in confirmationem veritatis, vt constat ex num. 23. & Rom. 3. cum ergo Deum ames, pie Lector, & veritatem sumopere, hinc eodem iure dignum & iustum est, vt hoc dogma Franciscanum, & Scotisticum pro Immaculata Conceptione Summo prosequaris amore.

Quarto, Lectorem docilem, & pium, rogatum & admonitum velim, ne se distrahi ab affectu erga Immaculatam Conceptionem permittat, propter vllam speciosam apparentiam alicuius auctoritatis, vel argumentationis in contrarium, quia, vt inquit Arist. 8. *Physic. tex. 22.* Infirmas intellectus est propter apparentes rationes sc̄satam relinquere probationē, &c. vt enim in collo colubæ radijs solaribus obiecto multi colores apparent, qui reuera non sunt, licet rudibus viderentur ibi reuera esse, ita inquit Aristot. 1. *Topic. in argumentationibus, & Sylogismis litigiosis, seu Sophisticis, multa videntur probabilia, & apparent vera, quæ tamen non sunt, quia vt idem ait lib. de lin. insect.* Sunt sæpe apud nos falsa permixta veris, & ea sæpe, mens nostra agrè distinguit.

guit. quod totum experientia constat multis, sed simplicioribus, Arianorum, Lutheranorum, Calvinistarum argumenta audiendo, vel legendo.

Quinto, Non esse vitio vertendum, sed æquibono; consulendum, quod aliquoties repetatur una sententia vel propositio, quæ videtur alicuius energiae, tum quia hoc fit ad maiorem emphasim, tum vt in simili tractatu obseruemus regulam S. Athanasij lib. de Incar. verbi post med. vbi sic ait, melius est etiam sapius iteratae sententiae crimen sustinere, quam aliquid eorum prætermittere, quæ enarrari debuerant, &c. Nihil itaq; prætermisimus, quod inferere valuimus, fecimus quod potuimus, respondimus prout sensimus, quæ si non videntur sufficere, Lectoris saltem erit conatum agnoscere, insufficientiam ignoscere, & minus nervose dicta, benignè corrigendo perficere.

Tandem Lectori docto & beneuolo rationem reddo cur me huius opusculi Auctorem appellari permitto, quandoquidem quædam eius prima fundamenta sunt Minerva è Scoti cerebro in lucem edita, & quoad tertium Rosarium ab Archiepiscopo Cauello olim in manipulum congesta. Respondeo id primo licere ex trito illo, & accepto versiculo apud Bosquierum N. tom. 3. in palæis & micis Concion. Late. ad Festum Portianulæ. ibi


Auctor ab augendo nomē trahit: aſt ab agendo actor:

Ab authentim, quod Græcum noſcitur Author.

Ego enim non solum omnium vsu: accommo-

daui, sed etiam plurimum auxi quoad materiam; Auctoritates & rationes addendo, vel a me data occasione inuentas, vel aliunde laboriosè collectas, vt patet non tantum quoad primum, secundum, quartum, & quintum Rosarium quorum quodlibet meum laboritium ex maiori aut integra parte est sed etiam quoad tertium Cauelli, adiungendo ei nonnullas auctoritates magni ponderis. Hoc autem abunde sufficit vt Auctor vocer, vnde licet secundum S. August. lib. 17. de Ciuit. cap. 14. Dauid sit Auctor omnium Psal. tamen secundum S. Hieron: in Prolog: super Psalterium etiam Asoph & Ethan, filij Chore fuerunt etiam eorundem psal-morum Auctores, sed diuersimode vt notat replicator Lyrani in replic. ad Burg. add. post Psal. 1. Nam Dauid fuit Auctor propter materiam administratam, diuinitus reuelatam: illi autem propter formam Carminis, Hymni, & Psalmi introductam; si Auctores inde probantur à replicatore; nulli ergo erit mirū vt Auctor vocetur, qui vtrūq; laboriosè præstitit, & vt satisfactioni ac præfationi coronidem imponam, audi in simili eleganter satisficientem I. Lipsium cap. 1. in not. ad I. I. Polit. lapides inquit & ligna ab alijs accepimus: ædificij tamen extructio & forma tota nostra..... nec sanè aranearum textus ideo melior, quia ex se fila gignunt: nec noster vilior, quia ex alienis libamus vt Apes, &c. Hactenus ad satisfactionem beneuoli Lectoris, Nam quantum ad maleuolum at-tinet,

zinet, non est ei aliud spondendum, quàm agere
Lipsum in Dialogistam, si emanxerit importunè,
aut prouocauerit opportunè. Cæterù humiliter &
instanter benignum Lectorem exoratum volo, vt
inter Authorem & Impressorem discernat, verba
annexa perpendat, ne contra suum solitum legat,
vti Mimi & Momi qui Lædoria pingunt, vt Autho-
ribus impingant Typographica menda; Authorem
non discriminantes, ab Impressore subinde in-
cauto.



Vidi & legi quindecim Rosaria in defen-
sionem Immaculate Conceptionis Bea-
te Virginis Mariae, à M. V. P. Bo-
naventura Conoro Ord. Min. Strict.
Observantia, SS. Theologiae Lectore,
pie & eruditè conscripta, quæ proinde
censco publicæ luci committi posse. Bul-
sani 27. Aprilis 1658.

Fr. Vvolfgangus à Monachio Ord.
Min. Reform. Prou. Tyrolis,
Pater & Guardianus Bulsani.

Imprimatur

Signata 3. Maij 1658.

FRANC. DE ALBERTIS
Vic. Gen.

RO-



ROSARIVM I.

Quindecim Testimoniorum summæ
 Energiæ ex Sacra Scriptura desump-
 torum quibus Immaculata Con-
 ceptio B. M. V. Dei Genitricis satis
 luculenter, omni homini docili
 suadetur & probatur.

ADMONITIO.



*A*d probandum ex S. Scriptu-
 ræ testimonijs Immacula-
 tam Conceptionem B. V. &
 ad percipiendum quantæ
 energiæ sint, hæ sequentes
 Regule sunt necessariò obseruandæ. Pri-

ma Regula est, duplicem esse sensum Sacrae Scripturae primus est litteralis. Secundus mysticus ut docet noster Lyranus ad moralit. Biblicae. Primus nempe litteralis reperitur patenter Exodi 20. ibi. Audi Israhel Dominus Deus tuus unus est, &c. hic enim textus ad proprietatem litterae est intelligendus. Item illud Deut. 6. ibi Diliges Dñm Deum tuum. Secundus nempe mysticus reperitur Iudic. 9. ibi. Ierunt ligna ut ungeret supra se Regem. & Matth. 5. ibi. Si oculus tuus scandalizat te, erue, &c. qui sensus mysticus conformiter ad fidem spem, & charitatem, diuiditur, in sensum Allegoricum credendorum, & in sensum Anagogicum sperandorum, & in sensum moralem siue Tropologicum charitatiue agendorum. Secundo constat quod subinde quaedam scriptura habet simul sensum litteralem, & mysticum Allegoricum, sic Apostolus ad Galat.

4. intelligit illud Gen. 17. ¶ 21. Abrahamus
 duos filios habuit. Tertiò constat, quod
 aliquando habeat sensum litteralem, ¶
 Anagogicum simul, ¶ in hoc utroq; sen-
 su Apost. Hebr. 4. v. 3. intelligit illud
 Psalmi 49. ibi, quibus iuravi in ira mea,
 si introibunt in requiem meam. Quartò
 constat quod aliquando habeat sensum lit-
 teralem & moralem siue Tropologicum si-
 mul, ¶ in utroq; hoc sensu Apost. 1.
 Corinth. 9. v. 9. intelligit illud Deutoro-
 nomij 5. ibi, non alligabis os boui trituranti
 id est, non denegabis, sed ultro dabis su-
 stentationem Concionatoribus, Confessarijs,
 Lectoribus, ¶ alijs Verbi Dei, ¶ fru-
 ctus spiritualis satoribus. Secunda Regu-
 la est, non esse præsumendum inuenire te-
 stimonium manifestũ litteralem in S. Scri-
 ptura quo secundum proprietatem litteræ
 probetur Immaculata Conceptio, sed suffi-
 cit, vel inuenire in sensu mystico, vel ta-

citè et implicitè in sensu litterali, ita Doctores
 sanioris doctrine apud nostrum Franciscum de
 Velasco Lectorem iubilatum in Uniuersitate
 Complut. tom. 1. disp. 2. de Concep. B. V. c. 1. & apud
 Suarez tom. 2. p. 3. disp. 3. sect. 5. Tertia Regula est
 controuersis circa sensum legitimum Sacrae
 Scripturae legitimum Iudicem, & Inter-
 pretem ex auctoritate Sedis Apostolicae, esse
 in primis caput Ecclesiae seu Papam canoni-
 cè electum, ut constat ex multiplici capite
 Juris Canonici. Item ex eo, quod quate-
 nus est talis sit infallibilis veritatis impo-
 tens in fide errare, siue in se credendo, siue
 alios docendo. ut constat ex Luca 22. ibi.
 Simon rogavi pro te, ut non deficiat fides
 tua. Secundus Iudex est etiam Concilium
 œcumenicum à Papa approbatum, habens
 potestatem iudicandi & declarandi circa
 sensum scripturae. ut constat, Primò ex
 Act. 15. ubi narratur, quod primum

concilium Apost. habuerit & exercuerit ta-
 lem auctoritatem. Secundo ex Matth. 8.
 ibi. Qui Ecclesiam non audierit sit tibi si-
 cut Ethnicus & Publicanus, Tertio quia 1.
 ad Timoth. 3. dicitur Ecclesia Dei vivi,
 quæ est columna & firmamentum verita-
 tis. Ex his quarta Regula est, secundum
 intentionem Summi, & legitimi Pontificis
 nimirum Sixti IV. non esse ullum argu-
 mentum, nec testimonium generale aut par-
 ticulare in Sacra Scriptura, quo probetur
 B. Virginem peccasse, aut actualiter, aut
 originaliter, nec peccare eos contra scriptu-
 ram qui illam ab utroq; peccato immunem
 defendunt ita habetur in Bulla quæ incipit
 Graue Nimis, infra citanda sequenti Ro-
 sario, Summorum Pontificum. Secundo
 id ipsum clarius constat ex Conc. Trident.
 quod sess. 5. declarans quinam comprehen-
 dantur in illis verbis Apost. Rom. 5. di-
 centis, per unum hominem peccatum in-
 travit

trauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccauerunt, &c. Nihilominus B. Virg. non comprehendi illis verbis declarat Conc. ibidem dicens sic. Declarat S. Synodus, non esse sue intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginē Dei Genitricem, &c. Si ergo Deus & Verbum eius pro nobis, quis contra nos? qualiter autem sint pro nobis, ex quindecim sequentibus testimonijs apparebit, praesertim quatenus explicantur à SS. PP. & Doctōribus Ecclesiae, ac alijs diuini sermonis interpretibus, de quibus Apost. ad Ephes. 4. sic ait, ipse scilicet Deus, quosdam dedit Apostolos alios Pastores, & Doctores, in edificationem Corporis Christi. Et 1. Corinth. 12. ait, unicuiq; datur manifestatio spiritus ad utilitatem, Alij quidem per spiritum datur sermo sapien-

scientiæ, Alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, Alij interpretatio sermonum &c. Secundum ergo horum interpretationem sequentia testimonia proferimus. sit ergò.

Primum Testimonium est illud Luc. 1. tibi Gabriel Angelus ad B. V. ait, benedicta tu in mulieribus &c. quod exponit S. Hieronimus statim citandus dicens id est, plus benedicta, quam omnes mulieres, &c. quanta autem authoritatis sit eius expositio audi ex S. M. Ecclesia in collecta ad eius festum 30. Septembris dicente sic, Deus qui Ecclesie tuæ in exponendis SS. Scrip. Beatorum Hieronymum Doctorem maximum providere dignatus es &c. textum autem citatum uti supra exposuit S. Hieron. ut citatur in Brev. Rom. in 2. Noct. Festi Immaculate Conceptionis. Item s. August. ser. 18. super sanctos, ubi ait, O femina super feminas benedicta. Eva autem prima femina

mina fuit adedò benedicta, vt fuerit condita in iustitia originali vt constat ex Eccles. 7. ibi, hoc inueni quod fecit Deus hominem rectum. Ergo si B. V. fuit plus benedicta, fuit etiam aequè innocens saltem.

Secundum Testimonium. Est illud Luc. 1. benedictus fructus ventris tui. fecit mihi magna, qui potens est &c. Ex quibus SS. DD. tres colligunt B. V. prerogatiuas, nempe sanctificationem in utero. Item eius Natiuitatem sanctam. Item eius preservationem ab omni actuali peccato in sua persona. Cur non etiam inferam Conceptionem sanctam ita inferendum esse ex SS. PP. & DD. testatur Suarez tom. 2. p. 3. disp. 3. sect. 5.

Tertium Testimonium. Est iterum illud Luc. 1. vbi Angelus ait, Ave gratia plena, quod exponit S. Hieron. supra citatus sic, bene plena, quia ceteris per partes praestatur, Mariae verò simul se tota
 infu-

infudit plenitudo gratiæ, verè plena quia
 et si in ss. PP. & Prophetis gratia fuisse
 creditur, non tamen eatenus plena & c. Et
 s. Athan. in Epist. ad Epictetum pag 659.
 sic, nec enim id temporarium accidisse opinor,
 sed per omnia tempora, etiam conceptus sui,
 hoc illi datum fuisse & c. si tempore conce-
 ptus ergo in illo tempore non fuit peccatum.

Quartum Testimonium. Etiam illud
 Luc. 1. Ne timeas Maria inuenisti enim
 gratiam apud Deum, quod sic exponit san-
 ctissimus Idiota citatus apud Velascum dis.
 2. cap. 1. sic dicens, Inuenisti Maria gra-
 tiam cœlestem, quia fuerunt in te ab origi-
 nali labe præseruatio, Angelica salutatio,
 spiritus sancti superuentio, & filij Dei
 conceptio & c.

Quintum Testimonium. Est illud Eccles.
 13. ibi omnis caro ad similem sibi coniungi-
 tur, id est, ad similem sibi non tantum
 in specie & natura, sed etiam in donis, &

gra-

gratie conditione, ut constat primo quia societas sic similis in natura, innocentia & gratia fuit inter primos parentes ut patet ex Eccles. 17. ubi de illis dicitur sic, disciplina intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum &c. II. ex expositione Lirani sap. 7. ubi ait, si Adam stetit in originali iustitia, generasset filios similes sibi potentes non mori, sicut post lapsum generat similes sibi, non solum in natura sed etiam in mortalitate, etc. Virgo autem Maria generauit filium habentem innocentiam originalem ergo & ipsa habuit similem innocentiam.

Sextum Testimonium. Est illud Gen. 2. ubi, non est bonum hominem esse solum faciamus ei adiutorium simile sibi &c. id est, non tantum in specie siue natura verum etiam in donis supra naturam, ut constat ex expositione Lirani ubi supra, & etiam ex Eccles. 17. ubi, creauit ex ipso adiutorium

riam simile sibi, consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus replevit illos, sed, ut testantur, s. Bonavent. & Rupertus apud Sallasar citati c. 19. in hoc fuit Eua figura B. V. quod etiam s. Epiphanius lib. 13. aduersus hæreses, heresi 178. testatur sic dicens, Beata Mater Dei Maria per Euam significatur, quæ per enigma accepit, ut Mater uiuentium uocetur, verè à Maria hæc vita mundo genita est, ut uiuentem gigneret & fieret Mater uiuentium &c. id est, per gratiam, sicut ergo Eua fuit adiutorium simile Adæ in innocentia originali, ita Maria Christo. qui est secundus Adam, ut constat, ex 1. Corinth. 15.

Septimum Testimonium. Est illud 1. Corinth. 15. ibi, factus est primus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus Adam in spiritum uiuificantem &c. quod

s. Pa-

s. Pater noster Dominicus Ord. Predic.
Fund. in tract. de Corpore Christi contra
heret. exponit sic. Sicut primus Adam fuit
ex terra Virgine non maledicta formatus,
ita decuit in secundo Adam fieri scilicet Chri-
sto, cuius terra, idest, Mater Virgo
nunquam fuit maledicta.

Octauum Testimonium. Ex prouerb 17.
ibi gloria filiorum Patres eorum, &c. quod
exponit & applicat ad B. Virg. s. Thomas
3. p. q. 27. a. 4. dicens, quod B. Virgo
non esset idonea Mater Dei, si peccasset
aliquando, quia ignominia Matris ad fi-
lium redundasset &c. Dupliciter autem pec-
camus, primo in persona propria, ut con-
stat ex secundo Paral. 6. Non est homo, qui
non peccet. Secundo in Adamo ut constat
ex Rom. 5. ibi, in quo omnes peccauerunt etc.
Neutra autem ignominia redūdauit ex Ma-
tre in filium, secundum s. Thomam. Et
gò neutra ignominia fuit in Matre.

Nonum Testimonium, Est ex secunda Corinth. sexto, ubi dicitur quod nulla est conuentio inter Christum & Be-
 lial, & c. quod idē s. Thomas ibidem exponit, applicando ad munditiam B. V. à peccatis illis, quibus mediantibus Diabolus seu Be-
 lial conuenire posset, posset autem conuenire si in B. V. esset originale ergo.

Decimū Testimonium. Est illud Baruc. 5. ibi. Circumdabit te Deus diploide iusti-
 tiæ, & imponet mytram capiti tuo, hono-
 ris aterni, Deus enim ostendet splendo-
 rem suum in te, qui sub cælo est, nomina-
 bitur enim nomen tuum à Deo in sempiter-
 num, pax iustitiæ & honor pietatis, exur-
 ge Ierusalem & sta in excelsis, & cir-
 cumspice ad orientem, & c. Quem textum
 exponens Lyranus ait, quod esset hiperbo-
 licus, si intelligeretur de sinagoga, sed
 planus & sanus si intelligatur de Christo
 & Ecclesia, partim quoad statum gratiæ

in *via*, partim quoad *Statum gloria in patria*, partim quoad *Pontifices Ecclesie*, partim quoad *Apostolos in primitiua Ecclesia*, & sic de cæteris *membris Ecclesie* inter quæ *Beata Virgo* fuit *primarium*, unde *Lyranus* per *li Orientem* intelligit *Christum* uti *subintelligitur Luca primo in Canticum Zachariae* *ibi. visitauit nos oriens ex alto*, & per *li diploide*, quod est *nomen deriuatum à duplo duplas*, *subintelligit duplicem stolum gloria & gratie anime & corporis*, unde non immerito *Franciscus de Velasc.* cum suis *Collegis complutensibus*. Totum applicant & exponunt ad *B. V. iustitiam originalem*. Nam *splendor Dei est Christus* ex *Hebr. 1.* & illud *nominabitur nomen tuum*, & c. *correspondet ad canticum B. V. ibi*, ex hoc *beatam me dicent omnes generationes*, & c. *Luc. primo v. 48.*

Vndecimum Testimonium. Est illud Psal.

Psalmi 36. ibi, *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manū suam, etc.*
 Quod s. Bonavent. in 3. sent. d. 3. q. 2. exponit applicando ad B. Virg. sic. Alij post casum erecti sunt, Virgo quasi in ipso casu sustentata est, ne caderet &c. id etiam refert Euangelista de Mominio Æntheus Ecclesiastes in suo diario quadragesimali in serm. super Misus est, profesto Annunc. B. V.

Duodecimum Testimonium. Ex Psal. 66. ibi *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei, homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus, &c.* quam fundamentum explicat sanctus Anselmus lib. de Concept. Virg. cap. 6. ubi ait. Si fundamentum illius scilicet primordium Conceptionis B. M. corruptum fuit, ipsi certè structura non congruebat &c. hunc autem Psalmum esse exponendum de Beata Virgine testatur sanctus August. serm. 13. de

tempore citatus in Breviario Rom. ad festum Purificationis, ubi sic ait. Sic olim prædictum est, Mater Sion dicit, homo & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.

Decimum tertium Testimonium. Ex Psal. 45. ibi. Sanctificavit tabernaculum suum altissimus &c. quod sanctificium exponens sanctus Vincentius Ferrer. in serm. 1. de Natiuit. sic ait. quando corpus B. Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, tum altissimus sanctificavit tabernaculum suum. Et serm. 2. de Natiuit. B. Virg. applicans ad eius Conceptionem illud Gen. 1. fiat lux. Sic ait. Non credatis, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata. Ita refert Suarez ubi supracitatus.

Decimum quartum Testimonium. Ex Psalm. 88. ibi. Thronus eius sicut sol &c.

Quod

Scip. non
 Quod ex parte
 serm. de Assum
 comparari soli qu
 ut Sol inter fl
 Decimum qu
 illud cont. 2. ibi
 se amica mea in
 gæ explicatur,
 terram Sedulij
 & charissimi
 ubi sic ait.
 Et velut ex
 acuta
 Nil qu
 trem
 Se Eux d
 Mar
 Virgini
 Virg
 Huc etiam
 ibi. Inimic

Quod exponit sanctus Petrus Damianus
 serm. de Assumpt. dicens . Ideo Virginem
 comparari soli quia lucet inter sanctos , si-
 cut Sol inter stellas .

Decimum quintum Testimonium. Est
 illud cant. 2. ibi. Sicut lilium inter spinas ,
 sic amica mea inter filias &c. Qui tex. egre-
 giè explicatur , per illa aurea carmina cele-
 berrimi Sedulij Hiberni SS. Patribus coæui
 & charissimi lib. 2. Carminis Paschalis
 ubi sic ait .

Et velut ex spinis mollis rosa surgit
 acutis

Nil quod lædat habens , Ma-
 tremq; obscuret honore

Sic Euxæ de stirpe , sacra veniente
 Maria

Virginis antiquæ facinus noua
 Virgo piarat .

Huc etiam applicari possit illud Gen. 3.
 ibi. Inimicitias ponam inter te &

mulierem, & c. Quem textum in sensu mystico ss. PP. & Doctores apud Lyranum ibidem, ad propositum nostrum enucleatè exponunt. Et observando tanquam regulam verba sancti Bernardi serm. in 12. Apocalipseos, ubi ait, quod Beata Virgo sit mysticis præfigurata miraculis, & oraculis prænuntiata Prophetis quam Sacerdotalis virga dum sine radice floruit, Quam Gedeonis Vellus dum in medio siccae areæ maduit, quam Ezechielis visione, orientalis porta, quæ nulli unquam patuit præsignabat, & c. Invenientur etiam alia enigmata & præclarissimi typi B. Virginis Immaculatae in sacris litteris, nam secundum Lyranum eam in sensu morali significavit thronus Salomonis de quo 3. Reg. 10. dicitur. Non est factum tale opus in universis regnis, & c. Item eam præsignat arca testamenti, fabricata ex lignis setim, quæ erant imputribilia alba & sine spinis,


ut

Ro
 ut expon
 & super
 gnari B.
 originalis
 defensori
 ubi hos
 constat q
 vellus i
 clausa, T
 ex im
 ra

vt exponit Lyranus super Deuteron. 10.
 & super Exod. 25. Unde per arcam preffi-
 gnari B. V. conceptã sine spina & putredine
 originalis peccati docet, Franc. de Velasco in
 defensorio disp. 2. c. 1. ex alijs Doctoribus
 ubi hos consule & vide, ex his autem
 constat quod ista. 5. nempe Virga florens,
 vellus in Arido Madens, porta oriens
 clausa, Thronus dignitate præcellens, Arca
 ex imputribilibus formata, præfigu-
 rant in Sacra Scriptura B.

V. sine macula cui sit
 honor & gloria.

Amen.



ROSARIVM II.

In quo proferuntur Testimonia, fauores & gratiæ quindecim Summorum Pontificum verorum Christi Vicariorum, quibus Immaculatam V. M. Conceptionem confitentur & credunt, ac confitendam & credendam ceteris vel mandant vel suadent.



S in veteri Testamento lex veritatis fuit in ore Leui Summi Sacerdotis? ut dicitur Malachie 2. & si in alijs Summis Sacerdotibus eiusdem testamenti fuit infallibilis veritas? ut dicitur Deut. 17. v. 8. Et si fuit ex mandato Dei obligatio credendi, & obediendi illis sub pœna mortis? ut ibidem dicitur

icitur v. 12. & si isti Sacerdotes habebant
specialem assistentiam Spiritus Sancti? ut
dicitur num. 11. v. 17. Quanto excel-
lentius hæ prerogatiue reperiuntur in Sum-
mis Sacerdotibus noui testamenti & Vica-
rijs Christi?

Primo, Quia lex Christi, in qua sunt
Pontifices est melior lege Moysis, ut con-
stat ex Ioan. 1. v. 17.

Secundo, Quia Sacerdotium Christi,
secundum quod sunt Sacerdotes, est excel-
lentius Sacerdotio Leuitico & veteris testa-
menti, ut probatur Hebræorum 7. uti, &
cap. 8. probatur quod eius testamentum &
ministerium in sacrificio & Sacramentis
est excellentius cæteris.

Tertio, Quia nostri Summi Pontifices
agentes ut sunt Capita Eccles. habent infal-
libilem veritatem in punctis fidei, sibi pro-
missam in Simone Petro, Luc. 22.

Quarto, Sicuti quilibet Prelatus par-
ticu-

ticularis Eccles. representat illam, ut constat ex Matth. 18. Ita Summus Pontifex totam Ecclesiam quæ est columna veritatis 1. ad Timot. 3. Ut etiam habetur in Iur. Canon. 34. c. quodcunq; & c.

Quinto, Habent promissam sibi assistentiam spiritus Sancti & veritatis. ex Ioan. 14. v. 16.

Sexto, Ex ordinatione Christi est obligatio in fidelibus obediendi & credendi Ecclesie ac Capiti eius Matth. 18. v. 17. ibi si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus & c. Ex his ego omnibus constat quantum debeamus obedire & credere 15. sequentibus testimonijs summorum Pontificum pro Immaculata Conceptione.

Primus Pontifex post Christum est sanctus Petrus Apostolus Apostolorum Princeps, qui consentiens & præsens erat in Concil. Apostol. Ierosolim. habito anno salutis

titis 44. in quo sic dicitur, illa Virgo, illa Maria, illa sancta in instanti suae Conceptionis, fuit ab originali peccato praeservata &c. Ita refert Lezagna in Apol. pro Immacul. Concept. & Velasc. tom. 1. d. 2. in defens. c. 2. sed de hoc concilio adhuc fusius infra Rosario sequenti.

Secundus Pontifex est Gregorius Magnus in lib. 1. Regum. c. 1. ubi ait Mons sublimis Maria, quae ut ad Conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usq; ad solium Deitatis erexit &c. Sed Angeli fuerant tanti meriti saltem praevisi ut non peccauerint, cum illorum Principe Lucifero dum alios infecit quia praeservati sunt ergo nec Maria cum Adamo licet alios infecerit, quia praeservata est.

Tertius Pontifex est s. Leo Papa Epist. ad pulcheriam Augustam, ubi ait sacramentum reconciliationis nostrae, ante tempora

pora eterna dispositum, nulla implebant figurę, quia nondum superuenerat spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbrarat ei, vt intra Intemerata viscera edificante sibi sapientia domum, Verbum caro fieret &c. Vbi pondera, quod eius viscera vocet intemerata, etiamsi nondum virtus Altissimi obumbrarat ei ad conceptionem Verbi. Item NB. quomodo ait edificante sapientia &c. de qua sap. 7. dicitur in animam sanctam se transfert &c.

Quartus Pontifex est Innocentius III. qui serm. 2. de Assumpt. ait, in Virgine fuit non solum sopitus stimulus carnis, sed prorsus extinctus &c. Vbi nota ex Conc. Trid. sess. 5. c. 1. Stimulum concupiscentiam, & fomitem, synonyma esse, & hunc stimulum siue fomitem ex originali nasci, & ad peccandum inclinare, vnde licet possit sopiri vel ligari, non tamen sit prorsus extinctus.

tinētus seu sublatus, nisi ubi deest originale peccatum.

Quintus Pontifex est Bonifacius IX. qui in constitut. 1. ait, Beata Virgo conseruata est à Deo flos sanctitatis &c. sed nota Ambrosium Calepinum verb. conseruo, ubi ait, quod interdum conseruare idem est ac à certissimo periculo eripere. Item N^B quomodo nascitur flos ex Sedulio l. 2. carm. Paschal. ubi ait & velut ex spinis mollis rosa surgit acutis. Nil quod laedat habens &c.

Sextus Pontifex est Sixtus IV. in secunda Bulla de hac controuersia, qua incipit graue nimis edita 1482. ubi decernit primo non esse peccatum nec mortale, nec veniale, nec haeticum esse, sentire B. Virg. Mariam, in suo conceptu fuisse immunem à peccato originali. Secundo, declarat ibidem sanctitas sua assertiones eorum, qui aiunt Ecclesiam Romanam de spirituali

rituali duntaxat conceptione, & sanctificatione Virginis gloriose, festum celebrare, esse falsas, erroneas, & à veritate alienas &c. unde manifestum est, quod Ecclesia celebrat festum non tantum de Conceptione spirituali, sed etiam de naturali Conceptione. Item idem Sixtus IV. in 3. Bulla, quæ incipit præexcelsa edita 1483. de Relig. & Venerat. ss. &c. Sequentia habet, primo hortatur fideles ad gratiarum actionem Deo pro tam mira Virg. Conceptione, secundo, largitur iisdem indulgentias, tertio, præcipit eius festum coli, quarto, ut fiat officium de illa conceptione cum solemni octava. Et ultra hæc etiam in honorem Immaculatae Conceptionis fecit erigi Capellam Romæ in Templo s. Petri.

Septimus Innocentius VIII. successit & precibus Dñæ Beatricis de Sylva inclinat, concessit eidem in honorem Immaculatae Conceptionis licentiam initiandi siue principian-

cipiandi Ord. Monialium Immac. Conceptionis V. M. Et iterum instante Regina Catholica Elisabetha 1489. confirmavit eiusdem Ordinis continuationem.

Octavus Pontifex est Alexander VI. qui ut refertur in Compend. privileg. commun. §. 18. in sua Bulla ait, anima Virginis in Conceptione illibata fuit, ut testatur Caluus p. 1. quadrages. Assumptione 2. Item idem Pontifex plures Confraternitates in honorem Immaculate Conceptionis instituit, ut refert Velascus, ubi supra citatus.

Nonus Pontifex est Iulius II. qui post Pium III. successit, & confirmavit Regulam Ord. Monialium Immaculate Conceptionis, in cuius cap. 1. est hæc propositio. Genitricis Dei Immaculatam Conceptionem venerantes. in c. 2. est hæc propositio vel potius professionis forma. Ego soror N. ob amorem & servitium D. N. Jesu Christi & Im-

¶ Immaculata Conceptionis Genitricis
 eius, voueo &c. Et in cap. 1. dicitur sic,
 pallium, sit hyacinthini coloris propter
 mysticam significationem, quod scilicet glo-
 riosæ Virg. anima à creatione sua tota san-
 cta fuit, &c. Et cap. 4. idem Pontifex
 commendat curam earundem Franciscanis
 ob defensionem Immaculatae Conceptionis,
 dicens, propterea quod Fratres huius Ordini-
 nis, indefesso studio innocentiae Dei Geni-
 tricis semper defensores existunt.

Decimus Pötifex est Leo X. qui in Bul-
 lario, Bulla 14. in honorem Immaculatae
 Conceptionis suspendit omne interdictum in
 festo eiusdem Immaculatae Conceptionis,
 ¶ per totam octauam eque ac in festo Cor-
 poris Christi, ita testatur & citat Hieron.
 Rodriquez resol. 30. verbo Conceptionu.
 8. Item in eadem Bulla concessit Franci-
 scanis celebrantibus, in festo Immaculatae
 Conceptionis, Clarissis audientibus plena-
 riam

riam Indulgentiam, ut habetur in Compend. Mendicantium verbo Indulg. plenaria. §. 17. & 18. apud Franciscum de Velasco ubi supra citat.

Vndecimus Pontifex est Pius IV. qui anno M. D. LXIV. die 26. Ianuar. Pontif. sui anno quinto in confirm. Conc. Trid. ait, petitioni nomine Concilij Oecumenici Trid. super eius confirmationem per ---- legatos nobis facta, annuentes, omnia & singula, quae in dicto Concilio --- decreta & diffinita sunt, authoritate Apostolica etiam de Venerab. Fratrum nostrorum Cardinalium concilio, & assensu, matura cum illis deliberatione praehabita, confirmamus atq; ab omnibus Christi fidelibus recipi & inuiolabiliter observari mandamus & c. sed ut constat ex sess. 5. cap. 1. can. 5. inter declarata & decreta à concilio sunt ista duo, primo non esse suae intentionis comprehendere B. Virginem in decreto de peccato origi-

nali ex sacris litteris illato, secundo obseruandas esse cōstitutiones supra citatas Sixti IV. quas sub pœnis in iisdem contentis innouat.

Duodecimus Pontifex est Pius V. in Bulla quæ incipit super speculam Domini edita 1572. ubi ait, quod nemo cuiuscunq; ordinis, gradus, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicunq; promiscua virorum vel mulierum multitudo conuenire solet, presumat sententiam pro Immaculata V. Conceptione refellere, aut impugnare; Qui contrafecerit suspensionis pœnam à diuinis absq; noua declaratione ipso facto incurrat & c.

Decimus tertius Pontifex est Paulus V. non solum in Bulla edita anno 1616. quæ habetur in appendice 3. Bullarij fol. 68. ubi approbavit & cōfirmavit prædictas Bullas Sixti IV. & Pij V. Sed in super sacra Congregatio s. Inquisitionis coram eodem Paulo V.

V. die 31. Augusti 1617. sic decreuit: In
 generali Congregatione s. R. Eccles. &
 vniuersalis Inquisitionis, coram santissimo
 Paulo V. constitutum est, ut imposterum
 nullus audeat in publicis Concionibus, Le-
 ctionibus, Conclusionibus, & alijs acti-
 bus publicis asserere quod B. Virgo fuerit
 concepta in peccato originali &c. Huc addi
 posset Sixtus V. qui in quadam Bulla relata
 à Portello verbo conceptio nu. 2. & à Ro-
 drig. apud eundem in Bullario fol. 1143. an-
 nuens petitioni Fratrum Minorum de cele-
 brando festo, & recitando officio Imma-
 culata Cōceptionis V. M. ait, Nos tam pium
 & laudabile propositū fouere volentes &c.
 Sed honorare officij recitatione, festi obser-
 uatione, Missarum celebratione, Conce-
 ptionem peccato infestam & Diabolo subie-
 ctam non est pium, nec laudabile propo-
 situm, ergò cum summus Pontifex dicat esse
 pium & laudabile, soluere huiusmodi diui-

na tributa Conceptioni V. M. hinc manifestum est, quod neq; intellexerit, neq; crediderit Conceptionem V. M. fuisse peccato originali infectam, aut Diabolo subiectam &c. Responde si vales & cum Homero dormitabis in pace.

Decimus quartus Pontifex est Gregorius XV. qui in Congregatione s. Inquisitionis 1622. ut habetur inter Bullas Gregorij XV. tom. 4. Bullarj num. 29. non solum predictum Pauli V. decretum confirmavit, sed etiam ampliavit ad privata usq; colloquia & scripta, mandans omnibus & singulis prout hoc tenore sequitur. Ne de cætero, neque in sermonibus, & scriptis privatis, audeant asserere, quod eadem B. V. fuerit concepta cum peccato originali, nec de opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare &c. que Bulla incipit sanctissimus Dominus Noster auditis votis &c.

Decimus quintus Pontifex est Urbanus VIII. qui per Bull. quę incipit *Ad perpet. rei memoriam* &c. editam die 21. Maij Anno Domini 1627. dat Indulg. plen. omnibus Confratribus Immaculate Conceptionis, visitantibus in eodem festo Conceptionis Deiparę, Ecclesiam s. Francisci Salmanticensis &c. quę Bulla in suo originali conseruatur in archiuio eiusdem Conuētus ut testatur Hieronymus Rodericus resolut. 30. Verbo conceptio num. 6. His adde Leonem X. ubi supra citatum, & Julium II. concessisse plures indulgentias ijs, qui deuotionis ergo secum deferunt imaginem Immaculate Conceptionis, prout pingitur, & expenditur in regno Castellę, ut testatur Franciscus de Velasco ubi supra citatus & Hieronymus Rodericus etiam locis supra citatis. Sed ut constat ex Malachię 2. Labia huiusmodi summorum sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirendam &

obseruandam, ac ut dicitur Ioan. 14. Spi-
 ritum veritatis habent apud se manentem
 in aeternum, Ergò cum suis dictis, diplo-
 matibus, gratijs, & fauoribus testimonium
 dent Immaculate Conceptioni Virginis
 Marię ut constat ex hætenus relatis in hoc
 Rosario, hinc vnusquisque fidelium obli-
 gatur non quidem obligatione fidei, sed reue-
 rentiæ & deuotionis, credere & colere Im-
 maculatam Conceptionem V. Ma-
 riæ cui sit laus, & honor post
 Deum in secula seculo-
 rum. Amen.



ROSARIVM III.

Testimoniorum SS. PP. & DD. ab
Apostolis inclusivè hucusque per
quindecim sæcula florentium vitæ
sanctitatis & doctrinæ veritate, qui-
bus B. V. Immaculata Conceptio
affirmatur & probatur & confir-
matur.

ADMONITIO.



Quandoquidem omnium sa-
pientum sapienti iudicio sta-
bilitum sit, verissimum es-
se verbum illud bonum quod
eructavit cor, Aristot. 1.
Top. c. 3. dicentis illam doctrinam esse dia-
lecticè veram, quæ talis videtur omnibus,
aut pluribus, aut sapientibus, aut sapien-

tioribus (ut addunt Comment.) aut sapientissimis ; hinc dignum & iustum est, ut ostendamus, quã unanimitè vera uisã sit sanctissimis Patribus doctrina de Immaculata Conceptione V. M. huiusmodi enim sancti scriptores, non proprio ingenio dicente, sed spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines ut ait s. Petrus Apost. c. 1. Epist. 2 quibus ut dicitur 1. Corinth. 12. datus est sermo sapientiæ, sermo scientiæ & interpretatio sermonum & intentionis Dei, sit ergo initium à testimonijs primi & secundi sæculi.

Testimonia primi & secundi sæculi
Apostolorum & coæuorum
illorum.

Primum, duodecim Apostoli in concilio Ierosolymis habito anno salutis 44. ita unanimitè definerunt his verbis. Illa

Virgo,

Virgo, illa Maria, illa sancta in instanti suæ
 Concept. fuit ab originali peccato præserua-
 ta & ab omni culpa immunis, & qui ita
 non senserit, salutem non consequetur eter-
 nam &c. ita testatur s. Thesiphon discipulus
 s. Iacobi Apostoli, ut habetur in uno ex li-
 bris repertis in sancto Monte Granatensi
 anno 1595. Sed respondebis forsan, Ga-
 sparum Ram, sacre Theologiæ Doctorem
 propositione 11. dubitasse de auctoritate ho-
 rum librorum. Respondeo dubitasse qui-
 dem, sed suo damno eo modo, quo Lu-
 therus & Calvinus cū a seclis suis dubita-
 runt de valore quorundam librorum, qui
 sunt in Canone, Sed sicuti horum ita illius
 dubium sublatum est, primo quia integra
 vniuersitas computensis in unum congre-
 gata desuper undecimam illam propositio-
 nem illius Gasparis censurat, sic dicens:
 hæc propositio manifestè falsa est, cum sint
 multe rationes prægnantes & urgentes,
 quæ

aut sa-
 ctum est,
 vera vi-
 na de Im-
 modi enim
 ingenio di-
 ante locuti
 s. Petrus
 ut dicitur
 sapientia,
 sermonum
 um à te-
 i.
 di sæculi
 rum
 oli in concil-
 salutis 44
 orbis. Illa
 Virgo,

qua affirmant id, quod de Monte sancto Granatensi dicitur. Ita testatur Illustriss. Archiep. Armach. in suo Rosario testim. 1. Si autem queris quanta est vis in auctoritate alicuius vniuersitatis? respōdet Trombeta 5. Metaphisicè q. 5. art. 2. dicens, * quod tanta sit eius vis, ut sententia damnata per vniuersitatem famosam, sit vel ubiq; damnata, vel saltem suspecta de heresi, non solum auctoritate Diocessani Episcopi, sed etiam Domini Papæ ut habetur in Canone extra de heret. cap. ad abolenda &c. His addendum est ex Egidio de præsentat. lib. 3. de Concept. q. 3. ar. vn. sect. 4. illum librum fuisse approbatum in Concilio Prouinciali.

Testimonium II. s. Iacobi Apostoli in Liturgia post consecrationem, vbi sic dicitur, memento præcipuè sanctiss. Immac. super
om-

* Additio.

omnes benedictæ, gloriose, Domina nostra
 Deiparæ, semper B. V. M. & c. Ad qua
 Chorus respondet sic, dignum est, ut te ve-
 re beatam dicamus Deiparam, omnibus mo-
 dis irreprehensam & c. in quibus verbis
 sunt notanda bene illa Semper Beata, Im-
 maculata, omnibus modis irrepre-
 hensa, & c. quia originale culpam ex-
 cludunt, quæ est turpissimâ macula, &
 miseria reprehensione dignissima, & c. ut
 optime notat Archiep. Armach. ubi supra.
 Primas Hyberniæ & meus Conterraneus.

Testimonium III. Est s. Andree
 Apost. qui sic ait, sicut primus Adam for-
 matus fuit ex terra antequam esset maledi-
 cta, ita secundus Adam formatus fuit ex
 terra virginea nunquam maledicta. Ita
 referunt Presbyteri Achaia in vita s. An-
 dree & c. de cuius veritate dubitandum
 non esse testatur Bellarminus, de Scriptor.
 Eccles. pag. 36. quia eam s. Bernardus ap-

probat à Bellarmino citatus, & in Brev.
Rom. nuper recognito hæc historia, post-
quam de ea à viris gravissimis acriter dispu-
tatum est, omnium consensu approbata est.

Testimonium IV. Est s. Theophonis in
alio libro ex prædictis repertis in Monte
Granatēsi ubi sic ait, nequaquam Angelus
Virgini diceret, Ave gratia plena, si in ori-
ginali fuisset concepta & c.

* Testimonium V. Est s. Cecilij Marty-
ris & Apostolorum discipuli, qui anno
Domini 50. ait, illa Virgo, illa electa,
à primario originarioq. preservata fuit pec-
cato & c. ita reperitur in uno ex libris Gra-
natę repertis, apud Franciscum de Velasco
disp. 2. cap. 3.

Testimonium VI. s. Marci Evangel.
qu. in Ecclesiis Egypti instituit celebrari
Festivitatem Immac. Conceptionis, ut te-
stan-

stantur Oidea in sua informat. Eccles. pro
 Immac. Concep. cap. 2. Fabricius Boder.
 in epist. proem. ante vers. Syriacam. &
 Archiep. Armach. ubi supra. apud quem
 plura vide testimonia, sed ut constabit cui-
 denter ex. Ros. quarto, Rat. 10. institutio
 festiuitatis pro Concep. B. V. est quaedam
 declaratio puritatis & sanctitatis eiusdem
 Concep. B. V. ergo s. Marcus instituendo fe-
 stiuitatem Concep. hoc ipso declarauit Con-
 ceptionis puritatem.


Testimonia tertij sæculi SS. PP. &
 DD. pro Immaculata Con-
 ceptione.

Primum est originis hom. 1. ex varijs
 tom. 2. in antiq. in nouis tom. 3. p. 3.
 ubi de Beata Virgine sic ait neque persua-
 sione serpentis decepta, nec eius veneno-
 sis afflatibus infecta est. &c. & ibidem
 eam

eam vocat immaculatam immaculati.

Testimonium II. s. Gregorij Neocesariensis hom. 1. super illud Luc. 1. Ave gratia plena, ubi sic ait, in generationibus hæc sola virgo, sancta corpore & spiritu fuit, & c. ex quibus verbis constat B. V. speciali aliquo sanctificationis genere fuisse sanctificatam, quomodo nulla alia fuit, nisi Eva, cæteris tamen paribus.

Testimonium III. Est s. Hypoliti Martyris oratione de Consumat. Mundi, ubi sic ait Christus venit ex sancta & Immaculata Virg. ubi NB. quod non solum vocat B. V. sanctam sed etiam Immaculatam.



Testimonia quarti sæculi pro eadem
Immac. Concep.

Primum est s. Chrysostomi in Liturgia
pro Beata Virgine ubi ait, illam sem-
per esse beatissimam & penitus immacula-
tam &c. in quibus verbis pondera &
NB penitus Immaculatam.

Testimonium II. s. Athan. in ep. ad Epi-
Ezet. de B. V. ubi sic ait, idcirco gratia ple-
na denominata est, eò quod omnibus gratijs
abundaret & virtute altissimi obumbrare-
tur, quam virtutem per omnia tempora
etiam conceptus sui habuisse confido.

Testimonium III. Est Sancti Ambrosii
serm. 22. in illud Psalmi 118. quare ser-
uum tuum Dñe &c. ubi sic ait, incorrupta
Virgo, sed Virgo per gratiam ab Omni in-
tegra labe peccati. Idem sanctus in Breu.
Romano edito Lugdunij 1544. lect. 4. festi

Con-

Conceptionis . Item in Breuiario Romano de Camera edito Venetijs 1550. Item in Breu. Eccles. Placent lect. 6. citatur de B. V sic dicens: in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpa fuit. &c.

Testimonium IV. Est s. Ephraem qui, in oratione ad Dei Genitricem tom. 3. sic ait, Immaculata intemerata, incorrupta, & ab omni labe peccati alienissima &c.

Testimonium V. Est s. Hieronymi tom. 5. epist. 510. pag. 95. in ser. de Assumpt. ubi de B. Virg. sic ait, quidquid in ea gestum est totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia & iustitia, que de cælo prospexit, & ideo Immaculata quia in nullo corrupta &c. ubi NB. quia in nullo corrupta.

Testimonium VI. Est s. Basilij in serm. de Annunc. ubi sic ait, hæc est, que fuit in utero Matris absque peccato originali concepta. Ita refert Alonsus Remon Chro-

nographus general. Ord. B. M. redempt.
captiuorum fol. 134.

Testimonia quinti sæculi.

Primum est S. August. lib. de natura & gratia cap. 36. ubi sic ait, excepta Virgine Maria, de qua, cum de peccatis agimus, propter honorem Domini nullam prorsus habere volo questionem, inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum Omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit & parere, quem constat nullum habuisse peccatum &c. ubi NB Omni ex parte &c. secundo nota S. August. scripsisse hunc librum contra Pelagianos, negantes peccatum originale esse in infantibus, ideoq; de originali in loco iam citato loquitur.

Testimonium II. Est S. Maximi serm. de Virg. ubi sic ait, Tabernaculum gloriæ,

E

de

de quo speciosus prodijt spōsus, lux gentium
condecoratus & congruē nulla macula origi-
nali contaminata est & c. scilicet, Virgo,
quæ est tabernaculum Dei. Ita refert Pe-
trus de Morales l. 3. de Christo & Virg.
tract. 1. pag. 280.

Testimonium III. Est celeberrimi Sedu-
* lii coeui S. Augustini lib. 2. Carminis
paschalis ubi sic ait.

Salve sancta parens enixa puerpera
regem,

Gaudia Matris habens cum Vir-
ginitatis honore;

Nec primam similem visa es nec
habere sequentem,

Sola sine exemplo placuisti fœ-
mina Christo & c.

De quo Sedulio Suarez tom. 2. disp. 3.
sect. 5. sic ait, Tanta est in Eccles. Dei huius

Do-

* Additio.

Doct̄oris auctoritas, vt nonnulla carmina, quibus Ecclesia in laudem B. Virginis utitur ex hoc eius libro desumpta sint &c. nota ergò bene in eius carmine nec primam similem visa es, Iterum, sola sipe exemplo &c.

Testimonia sexti sæculi.

Primum est S. Gregorij in lib. i. Reg. cap. i. citat. in Rosario antecedenti, ubi præter ibi relata sic ait, mons in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra Omnes sanctos refulsit &c.

Testimonium II. Est S. Fulgentij ser. de laudibus B. Virginis ubi sic ait, Cum dixit Ave, salutationem cælestem exhibuit: cum dixit plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam. &c.

Testimonium ultimum, Est Aratoris

S. R. Eccles. Card. Diaconi lib. I. poematum in Acta Apostolorum ubi de B. V. sic ait,

Porta Maria Dei, Genitrix intacta
creantis

A nata formata suo, mala criminis
Eux

Virgo secunda fugat: nulla est iniuria
sexus.

Restituit, quæ prima tulit &c.

Sed prima tulit innocentiam originalem, ergò Beata Virgo hanc sibi restituit. Item malum criminis Eux fuit peccatum originale, ergò Beata Virgo in suo conceptu hoc fugavit, iuxta carmina huius celeberrimi Doctoris. & Cardinalis S. Rom. Eccles. doctrina Eminentissimi.

Testimonia septimi sæculi.

Primum Testimonium, Est S. Iſido-
 ri Hispalensis qui in Missali a se re-
 formato ex commissione 4. Concilij Toletani
 66. Episcoporum, vt refert Archiep. Ar-
 machan. vel 62. vt refert Baron. ad an-
 num 663. officium inserens Conceptionis
 B. V. hunc titulum præfixit Officium pro-
 prium Mundæ Conceptionis Mariæ
 & c. & in eodem Missali in Missa Na-
 tiuitatis B. V. sic ait qui Matrem con-
 seruauit a corruptelæ contagio, si-
 num cordis Vestri emaculet a delicto
 & c. Quantum autem extitit Deo & B.
 V. gratum Hoc Missale ob insertum offi-
 cium Immaculatæ Conceptionis, infra pa-
 tebit Rosario sequentirat. 1. & Mirac. 2.
 stupendo, vbi refertur quomodo illud Mis-
 sale fuit à combustione præseruatum, in te-

stimonium quod ita etiam Beata Virgo fuit
à contagio peccati originalis præservata.

Secundum, Est S. Ildefonsi Archiepi-
scopi Toletani lib. contra eos, qui dispu-
tant de Virgin. & partur. Maria. ubi
sic ait, Quomodo spiritu sancto eam replen-
te, non sine peccato originali fuit? Item
* ut citat. ex eodem libro in Breu. Rom. die
7. infra octauam Conceptionis, sic ait Vir-
tus Altissimi ab omni æstu peccati eam obum-
brauit in conceptu, & in partu, sicut ab
omni æstu libera fuit, ita & ab omni
pressura maledictionis, non ex se se,
sed ex virtute Altissimi, immunis & alie-
na fuit, &c. Sed esse in peccato orig. concipi
& nasci filiam iræ, est magna pressura male-
dictionis, ergò secundum hunc. S. P. & D.
B. V. fuit ex virtute Altissimi immunis
& aliena à pressura maledictionis origin.

Te-

* Additio.

Testimonia octauæ sæculi.

Primum est S. Damasceni oratione 1. de Natiuitate B. M. V. vbi sic ait. O sanctissima quæ Principatus & Potestates fefellisti, atq; ignea maligni tela extinxisti. Quæ in spiritus thalamo versata; Immaculata conseruata in Dei sponsam. &c. vbi NB. Immuculata conseruata.

Testimonium II. Est S. Germani de Fascijs & Zona B. M. &c. vbi ait, existimo manifestè eam, quæ est omnibus superior diuinarum & sublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus excellentem; Mariam nulli culpæ affinem &c. Si nulli, ergò nec originali est affinis.

Testimonium III. Est septimæ Synodus PP. actione 3. vbi ait Beatam Virginem esse Immaculatam & prorsus puram.

Vltimum Testimonium, Conc. Franco-

fordiensis in epist. ad Praesules Hispaniae tom. 3. pag. 652. Ubi postquam docuit Adam fuisse de terra virgine formatum etiam ait Christum formatum esse de Virgine meliori terra & magis Immaculata.

Testimonia noni, & decimi saeculi.

Primum Testimonium, Est sanctissimi Idiota lib. 1. de contempl. Virg. c. 2. ubi ait, *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis siue venialis, siue originalis non est in te, nec unquam fuit &c. Cuius rationem dat cap. 6. dicens, fuisti ab originali labe praeservata.*

Testimonium II. Est (vel Ansberti in homil. Alcuini vel Venerabilis Bedae) ubi dicitur *Tota pulchra es & macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio.*

Testimonium III. Fulberti lib. 1. de
Maria

Maria cap. 7. oratione ad salutationem Angelicam, ubi ait, Immaculata semper exististi ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem omnis sanctitatis.

Testimonia vndecimi sæculi.

Primum Testimonium S. Anselmi non solum locis citatis in alijs Rosarijs, sed etiam in cap. 5. 2. ad Corinth. ubi ait, Omnes itaq. mortui sunt in peccatis nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, siue originalibus, siue voluntate additis.

Testimonium II. S. Petri Damiani ser. de Assumpt. B. Virg. ubi ait, Caro Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit &c. Principalis autem inter maculas Adæ fuit peccatum originale ergò Virgo hoc non admisit.

Testimonium III. Est S. Brunonis in psalm. 101. super illud Dominus de Cælo

in terram aspexit. Vbi de B. Virgine sic ait, Hac est incorrupta Terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vita vitam agnouimus: quæ quia digna fuit, Dominus de Cælo in terram aspexit &c. Vbi NB. illa verba ab Omni contagione peccati libera. &c.

Testimonia duodecimi sæculi.

Primum Testimonium, Est S. Bernardi in 4. serm. videlicet, ser. 13. de cæna Domini, vbi ait, Non est in filijs hominum magnus vel paruus, qui non in peccatis conceptus fuerit præter Matrem Immaculati, peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis, de qua cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem. &c. Item in serm. 4. super Salve Regina, sic ait, innocens fuisti ab
ori-

originalibus; & actualibus, nemo ita præter te. Et Iterum serm. de B. Maria fol. 324. Ubi sic ait, licet Maria de Patrum natura, per peccatum vitata, duxerit originem, prælecta tamen per spiritum sanctum præservata est. Item in serm. de privilegio S. Ioannis Baptista, ubi sic ait, Neminem intra materna viscera sanctificationem legimus, præter Ioannem & Ieremiam quanguam de singulari Virginis, nulla sit dubietas, quin ipsa maternis circumcepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit, utpote Sanctuarium illud, in quo filius Dei erat carnem suscepturus. &c. Unde NB. falsè imponi sancto Bernardo epistol. quandam ad Lugdun. in qua contrarium asseritur contra B. V. nam Archiep. Armachanus testim. 12. sæculi & Pater Oieda ubi supra citatus, & Henricus de Hassia Christianus 4. rationibus sole clarioribus, & duabus auctorita-

tatibus eiusdem S. Bernardi sumptis ex
 epist. 284. & 298. demonstrant prædi-
 ctam epistolam & multas alias similes epi-
 stolas falsè imponi S. Bernardo. Idem
 * S. homil. 2. de Laud. B. Vrg. ait quomo-
 do eam Angelus gratia plenam pronuntiat si
 quidpiam vel parum quod ex gratia non
 esset habebat?

Testimonium II. Est Richardi à sancto
 Victore cap. 26. in cant. ubi sic ait, Tota
 pulchra fuit, quam totam possedit gratia,
 quia nullum in ea locum habuit peccatum.
 ubi N. B. Nullum locum.

Ultimum Testimonium, Est Hugonis de
 S. Victore in Miscel. 2. lib. 3. tit. 125. ubi
 de B. V. ait, primum privilegium est, quod
 sine sordè & viro concepit, in hoc enim im-
 muncem se in suo conceptu ostendit, ab illo
 prophético, Ecce enim in iniquitatibus conce-
 ptus sum &c. Te-

* Additio.

Testimonia decimi tertij sæculi.

Primum Testimonium, Est S. Patris
N. Dominici, Fund. Ord. Præd. in
tractatu de Corpore Christi contra hæreti-
cos Albigen. ubi sic ait, Sicut primus Adam
fuit ex terra virgine & nunquam maledi-
cta formatus, ita decuit in secundo Adam
fieri scilicet Christo cuius terra id est Vir-
go Maria nunquam fuit maledicta.

Testimonium II. Est S. Patris Nostri *
Francisci oratione 2. de B. Virg. ubi ait,
non est similis ei nata in mundo. Id est
inquit Pineda aduer. 4. num. 3. nec in Con-
ceptione, nec in natiuitate, nec in vita,
*nec in morte. Item idem S. Pater in sa- **
lut. ad B. V. sic ait Ave Regina sanctissi-
ma

* Additio.

* Additio.

ma in qua est ; & fuit omnis plenitudo gratiæ & c. ubi NB. fuit Omnis plenitudo.

Testimonium III. Est Doct. irrefragabilis Alexandri Alensis in lib. 5. de Immaculata Concept. cap. 4. ubi ait ; Tota pulchra es amica mea & macula non est in te, Maria Domina mea tota pulchra es, & formosa, & macula origin. aut actualis peccati in te nunquam fuit & c. Hic liber reperitur Tolosâ in Choro Eccles. Cathedralis, ut testantur Bernardinus de Bustis serm. 4. de Concept. Pelbartus lib. 4. Stellarij Archiepisc. Armach. testim. 13. seculi.

Testimonium IV. Est S. Bonaventura Doct. Seraphici S. R. E. Cardinalis in opusc. contempl. quod habetur ante finem * tom. 6. ubi in medit. Fer 2. ad nonam flore 5. sic ait, Iesus promotor providus maternæ dignitatis & c. Et paulo infra ait esse

Ma-

Mariæ mirabilem Conceptionem absque iniquatione, puellæ mirabilem educationem, in templum oblatione, Virginis mirabilem desponsationem, Ioseph copulatione & c. Et serm. secundo de Assumptione sic ait, solus filius Virginis fuit ab originali culpa immunis & ipsa Mater eius Virgo.

Testimonium V. Est sancti Thomæ in primo dist. 44. art. 3. ubi sic ait, Talis fuit puritas Virginis quæ à peccato originali & actuali fuit immunis. Item idem Divus* Thom. in psalm. 14. ait in Christo, & Maria nulla omnino macula fuit & c. ubi N. B. nulla & c. quæ particula æqua applicatur B. V. ac Christo.

Te-

 * Additio.

Testimonia decimi quarti sæculi.

Primum Testimonium, Est Doct̄oris subtilis Ioann. Scoti, Theologorum Principis in 3. dist. 3. q. 1. *fuissimè*, & dist. 8. §. hoc viso ubi sic ait. Est etiam ibi Virgo Maria que nunquam fuit inimica actualiter, ratione peccati actualis, nec ratione originalis: fuisset tamen nisi fuisset præseruata.

Testimonium II. Est B. Birgitta lib. 5. *suarum reuelat.* c. l. 6. c. 9. ubi ipsa B. Virgo ad illam ait, Veritas est quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato originali etc. vis autem scire quante auctoritatis sint hæc reuelationes? respondeo id tibi colligendum esse exinde, quia à Gregorio XI. præmissis examine trium Cardinalium & quatuor DD. approbate sunt 1377. Et iterum ab Urbano VI. præmissis

misso examine sex Cardinalium & septem
DD. Theologorum. Et iterum approbata
sunt à Bonifacio IX. Ita esse videre licet
apud Cardinalem Turrecrematum in prolog.
reuel. B. Birgittæ. & apud Archiep. Ar-
mach. testim. 14. sæculi.

Testimonium III. Est S. Elisabethæ,
quæ ait, se per reuelationem didicisse Im-
maculatam Conceptionem V. M. ut testa-
tur Pelbartus lib. 4. Stellarij p. 1. ar. 3.

* Testimonium IV. Est B. Mechtildis cui
B. Virgo in reuelatione loquens, sic ait,
reuoca mihi in memoriam gaudium illud,
quod ego experior, siquidem me Deus di-
gnissime super omnes Angelos, omnemque
altam creaturam honorauit, dum ab illa
horâ qua animam meam corpori infudit, me
spiritu sancto repleuit, qui me à peccato
originali præseruâdo, ita totam mûdam

F

red-

* Additio.

reddidit, ut singulari sanctificatione me in suum sacrarium elegerit, effeceritque ut sicut rosa absq; spina, & sicut lucidissima stella mundo illucesserim &c. ita refert & testatur Mundus Marianus discurs. 40. num. 102. Qui etiam discurs. 26. nu. 53. aliam reuelationem refert pro Immaculata Concept. factam à B. V. Elstno Abbati Remensi mediante S. Nicolao Episcopo de qua reuelatione vide ad saporem infra Ros. 4. Rat. 1. Mirac. 14.

Testimonia decimi quinti sæculi.

Primum Testimonium. Est s. Laurentij Justiniani Patriarchæ Venetorum lib. de gradibus perfectionis cap. 1. ubi ait, ab originali delicto nullus excipitur, præter illam, que genuit Mundi Salvatorem. Item lib. de casto connubio cap. 7. sic ait, Hæc est originalis pœna delicti à qua

qua nemo liber extitit, quot quot enim ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Christo Iesu & eius Matre, sub hac peccati lege sunt conditi.

Testimonium II. ¶ Ultimum, Est S. Bernardini Senensis tom. 1. ser. 52. ubi ait, Virgo Maria sine tirrano concupiscentiæ peccati originalis fuit, quia sine eo concepta est. Item tom. 4. serm. 49. post Pascha part. 1. sic ait, certum est, quod Deus creavit Adam sine peccato originali & similiter Euam de costa eius, non est ergo credendum, quod ipse filius Dei voluerit nasci ex Virgine, quæ esset maculata aliquo peccato originali, imò credendum est, quod eius Mater fuerit plusquam Eva & Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali &c. Ex hæcenus ergo dictis constat doctrinam Scoti & Franciscanorum pro Immaculata Conceptione V. Mariæ visam fuisse veram sapientibus sapientioribus

bus & sapientissimis omnium seculorum ab
Apostolis inclusiue usq; adhuc. Vnde
ad intelligentiam ss. PP. vbi vel ambi-
guè vel rigosè loquuntur, obseruandas,
Æstimo esse has regulas.

* Prima est s. Bonauenturæ in 2. dist.
32. art. 3. q. 1. Et s. Thomæ ad quedam
loca August; q. 5. de malo art. 2. ad 1. Et
Scoti in 2. dist. 33. quest. vnica. ad 1. ni-
mirum quando ss. PP. inuehuntur in suis
scriptis contra certam hæresim & determi-
natum aliquem hostem, tunc inquit s. Bo-
nauent. plus dicunt & minus volunt in-
telligi vnde s. August id fatetur lib. 1.
retract. cap. 9. vbi ait, ipse multa in his
dixi pro libero arbitrio, quæ illius dispu-
tationis causa poscebat &c. Et paulo infra
ait, quadam ex eis quæ contra Manichæos
sunt dicta Pelagium pro sua hæresi stabi-
lien-

* Additio.

lienda citaſſe & putaffe Pelagianos (vel
putare potuiſſe.) eum tenuiſſe illorum ſen-
tentiam & c.

Secunda Regula eſt, quod dum vnam*
heresiſ impugnant, de alia, quæ tum nõ mo-
uetur omnino ita tacet, vt videretur poſte-
ris ſimplicibus illos non fuiſſe contra illam,
quæ poſtea mouetur, vt patet exemplo. Nam
s. Aug. l. 1. de vt Gen. c. 5. ait, omnes homi-
nes poſſe, ſi velint Deo credere & eius præ-
cepta implere etc. & tamen tunc nõ declarat
ſe nec exprimit, an id poſſent ſolis nature vi-
ribus, an autem opus eſſet gratia Dei, ſed
primum poſtea ſe manifeſtauit & neceſſita-
tem gratia Dei probauit lib. contra Iulian.
& l. de gratia & libero arbitrio.

Tertia Regula eſt, Scoti vbi ſupra do-
centis obſeruandum eſſe ad intelligentiam*

F 3

ss. PP.

* Additio.

* Additio.

ss. PP. quam heresim impugnant, nam ex heresi opposita & impugnata facile est intelligere, quid intenderint ss. PP. quod patet exemplo, nam Concilium Constantinopolitanum primum eiusq; ss. PP. unanimiter concludunt contra Eunomium processum spiritus sancti esse à Patre, quia hoc negabat ille, & tamen inde non sequitur eos negare velle quod etiam procedat à Filio, de quo tamen ibi tacent, quia de hoc puncto non fuit tunc temporis controuersia.

* Quarta Regula, quando in cortice littere ss. PP. inuenitur, rigor loquendi contrarius alteri doctrina, quam constanter tenent, aut contra sensum vniuersæ Ecclesie. tunc non sunt vllatenus intelligendi in illo rigore, ut patet exemplo. Nam s. August. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione c. 35. ait esse indeclinabilem fidei confessionem

* Additio.

nem, quod solus Christus sine peccato natus est, sine peccato vixit, & sine peccato mortuus est. Id ipsum in simili verborum tenore habet lib. 4. ad Bonifacium cap. 4. & tamen idem S. August. lib. de natura & gratia contra Pelag. ait, cum de peccatis agitur de S. Virg. Maria nullam prorsus habere volo questionem, scimus enim quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum Omni ex parte peccatum, eò quod concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. His ergò Regulis obseruatis nullum inuenies sanctum Patrem Immaculatae Conceptioni fuisse contrarium, nam in loco iam ultimo citato ex S. August. patet non debere intelligi iuxta rigorem Corticis litteralis, tum ne arguatur contradictionis ad se ipsum alibi se declarantem, tum quia ex Rosario antecedenti constat Sixtum IV. & C. Trident. definisse, non esse contra fidem, præter

Christum etiam defendere B. V. ab omni peccato etiam originali, tum quia ut obseruat doctissimus Vadding. cap. 6. ibi S. August. egit contra Pelagianos negantes vniuersaliter peccatum originale contrahi ab infantibus, aut infantes in eo nasci vnde sicut ipsi vniuersaliter negabant, ita S. August. vniuersaliter affirmabat ut illam Hæresim sopiret, sed hoc nõ præiudicat innocentie originali B. V. si obseruemus 1. 2. & 3. Regulam, & maxime. 4. quia tunc temporis non fuit questio an B. V. fuit sine peccatis nec ne, sed postea, vnde quando fuit exorta illa controuersia tunc S. August. lib. de nat. & grat. c. 32. clarè docet eam immunem esse à peccato, Omni ex parte: ut supra ex illo relatam, ergo contrarium huius nunquam intendebat docere in alijs locis iam supra citatis, alioquin sibi ipsi cõtradiceret, & sensui vniuersalis Eccles. cui Deus S. August. prouidit ut Doctorem maximum,

Rof. III. Pat. & Doct. pro Imm. Conc. B. V. 71
communem omnium Magistrum, fidelem in-
terpretem sacrae scripturae, & Verbi Dei,
cui sit in omni opere & sermone laus &
honor in saecula saeculorum. Amen.



72.
ROSARIUM IV.

Quindecim rationum, Mirac. & probationum summæ energiæ, pro B. V. Immaculata Concept. quas Phœnix ille ingeniorum, & Doct. subtilissimus, Ioannes Scotus, ac eius asseclæ, Scotistæ, & Franciscani excogitarunt.

Ratio & probatio prima desumpta ex claritate quindecim Mirac. factorum in confirmationem Immac. Concep. V. M.

Ex Scoto q. 2. Prolog. §. de octauo, scilicet Mirac. claritate.



EV S non potest facere vera miracula in confirmatione ullius falsæ doctrinæ, sed solum in confirmationem veræ doctrinæ, ut constat ex tribus Capitibus,

Ros. IV. Rat. & Mirac. pro Imm. Conc. B. V. 73
bus, Primo quia Deus ipse de se dici fecit
Num. 23. sic, Non est Deus quasi ho-
mo ut mentiat. Secundo, ex Rom. 3.
ibi Est autem Deus verax, omnis au-
tem homo mendax. Tertio, quia Deus
non soluit legem à se conditam contra ali-
quod intrinsece malum ut constat ex Chri-
sto qui Math. 5. vers. 17. ait non veni
soluere legem sed adimplere. Deus
autem Exodi 20. v. 16. Condidit hanc le-
gem. Nō loqueris cōtra proximū tuum
falsum testimonium. Ex his ergo cla-
rum est, quod Deus non potest facere nec
miraculum. nec testimonium pro doctrina
falsa, sed solum pro verissima. Fecit au-
tem Deus miracula in confirmationem do-
ctrinae nostrae pro Immaculata Conceptio-
ne; Et huiusmodi vera miracula sunt te-
stimonia maxima Dei Patris, in hoc mun-
do, ut testatur Christus Ioan. 5. v. 36.
ibi. Opera, quae dedit mihi Pater ut
per-

perfaciam, ea ipsa opera, quæ ego facio, testimoniam perhibent de me, quia Pater misit me. Hinc igitur sequitur, quod doctrina pro Immaculata Conceptione sit verissima, quum testimonium habeat à Deo per miracula. Nunc attende & ostendo miracula.

Primum & in capite libri maximum miraculum vsq; in hodiernum perseverans, factum est Lutetie Parisiorum 1300. ubi dum ex mandato Sedis Apostol. cuius Legati presentes adorant, Scotus pro Immaculata Conceptione disputaturus comparet, coram gravissimo omnium Accademie Parisiensis DD: Laureato confesso, cum ad locum disputationi deputatum appropinquaret, sublatis modeste oculis, marmoream B. V. statuam desuper collocatam, intuens: genibus flexis deuotè adorauit, eiusq; opem inuocauit, & illico promitti impetrauit, nam vix hanc oratiunculam

Di-

Dignare me laudare te Virgo sacrata
 da mihi virtutem contra hostes tuos,
 vocaliter & mentaliter compleuit, cum si-
 mulacrum marmoreum alioquin ex se immo-
 bile, uti exanime, inflexa ceruice caput
 profunde oranti cum gaudio stupore cele-
 berrimi Auditorij inclinavit, in signum qui-
 dem orationis exaudite, & in presagium
 futurę victorię. Ducenta mox aduersa-
 riorum argumenta ita fideliter suo ordine
 repetijt, ut nulli dubium fuerit quin Deus
 plus fuerit suggerens, quam homo repetens,
 Ita ea facilitate, qua Samson Dalila liga-
 mina soluit, resoluit, ut ab omnibus cre-
 ditum fuerit illud Euangelicum, Non vos
 estis qui loquimini, sed Spiritus San-
 ctus, qui loquitur in vobis, rationes
 postea ita sacras & instar gordij nodi inso-
 lubiles adduxit, ut Sorbona in eius ver-
 ba pro Immaculata Coñceptione, Iuravit.
 In hac historia tria sunt diuina. Primum,

Ma-

Manifestum illud miraculum imaginis inclinatae. Secundum, Est illa extraordinaria scientia, quae quando est ad aedificationem corporis Christi siue Eccles. tunc enumeratur inter dona spiritus Sancti & gratias gratis datas, ut constat ex 1. Cor. 12. & ex Rom. 12. Tertium est continuatio eiusdem miraculi vsque in hodiernum. Testes huius miraculi & historiae, omni exceptione Maiores, sunt imprimis Illustriss. Archiep. Armachan cap. 3. in vit. Scot. ubi sic ait in signum quod auditus esset Scotus, Victoriāque reportaret de qua modo in vniuersa Ecclesia cōstat, sanctissima Imago caput notabiliter inclinavit, --- & vsq; hodie in perpetuam rei memoriam --- inclinatum perseuerat. Secundo, Id ipsum testatur Illustrissimus Episcopus Osimensis in approb. eximij D. Luceri de Immacul. Concept. Tertio, Ornatissimus Dominus Vernul. in Paneg. Scot. fol. 407. sic ubi ait

ait quod admirari nulla aetas satis potest, inclinatum imaginis caput ad haec usq; tempora nostra, ne dubitare quis unquam posset, permanet. 4. Annalista Min. cap. 7. Item Panegyri. Iesuiticus apud Colgan. Lect. Jub: in vita Scot. cap. 2. ubi sic ait. Non arrogavit sibi victoriam Scot. quam miraculum peperit, dum ad pugnam pergit, orauit Virginem in Imagine; & Imago respondit. Inclinauit caput Imago saxea ut opem annueret. Adhuc perseuerat inclinatio, ne quis de antiqua victoria dubitet quae quotidie noua est &c. Tandem id ipsum testatur communis populi Parisiensis traditio, & etiamnum omnibus visibilis imaginis inclinatio, ut inquit Annal. Min. c. 7. vit. Scot. apud quē vide alios testes sine fine dicētes. Hanc rationem estimo ut Herculem: & quid ad eam responderi posset, facilius audirem, quam excogitarem, sed ne etiam Diaboli technis, aut sophismati locus de-

tur; *finge respondentem, ut videas impingentem.* Itaque forsans respondetur, Primo, Fortassis Dæmonem hoc miraculum patrassè, ad deceptionem fidelium; sed Contra: nam ut docet S. August. lib. de Utilit. credendi prope finem vera miracula non possunt fieri nisi à solo Deo vel virtute Dei, ut constat ex Psal. 136. ibi qui facit mirabilia magna solus --- Item ex Apostolo 2. ad Thesalonic. 2. ubi ait, quod operatio Sathanae sit in omni virtute, & prodigijs, & signis NB. Mendacibus, ergo huiusmodi vera miracula non possunt fieri à Diabolo --- si Secundo, Respondes forsans inclinationem illam fuisse naturalem aliquem motum lapidis; sed contra ex S. Hieronymo l. 1. Comment. in cap. 8. Math. si hoc dicis, incidis in illam hæresim, quæ credit omnia esse animata, & nullam rem inanimatam. Si forsans, Tertio, Respondes te nolle
 cre-

credere hoc miraculum factum fuisse, quia non vidisti, nec de fide est. Contra ex Scot. q. 2. prol. si non vis credere communitati tam sollicitæ & timorata, ut est Eccles. & communitas Doctorum Scriptorum eius. Cur ergo credis te legitimè natum, Illustri profapia satum, tanti patrimonij heredem factum esse? quia neq; hæc sunt articuli fidei Catholica.

Secundum Miraculum gloriosissimum, & auditu mirum, lectu rarum, memoratu dignissimum, pro Immaculata Conceptione accidit in Hispania, circa Missale S. Isidori Hispalensis ab eodem sancto ex mandato Concilij Tollet. 66. Episcop. reformatum, insertione officij vunde Conceptionis B. V. locupletatum, Encomijs eiusdem decoratum, à duobus Summis Pontificibus approbatum, ab Hispania presertim ab Ecclesia Tolletan. reuerenter acceptatum, nihilominus posteris temporibus innovante

Missalia Greg. VII. etiam in Hispania tentatum est ut ammoto Missali S. Isidori aliud illud nouum Gregor. VII. substitueretur, sed ob reuerentiam erga S. Isidorum, ob prædominantem deuotionem erga insertum officium Immaculæ Concept. Clero se excusante, Nobilitate se opponete, populo tumultum excitante, ad sopiendum obortum dissidium vtriusque partis constantia illustre, conclusum est, ut utrumque Missale iniiceretur in ignem, ubi quantocius Missali Gregoriano, in flammam conuerso, deinde in fauillas redacto, nihilominus flamma quasi suæ naturalis voracitatis oblita, Deo obsequens, Dei Genetricem verens, eius Immacul. Concept. officium reuerens, tamquam innata Pyrausta fauendo parcens S. Isidori Missale ob insertum Immacul. Concept. officium, reliquit intactum, conseruauit illesum, præseruauit à macula aliàs iri maculatum, nam

ut utar Historici mox citandi verbis, cunctis videntibus, & Dominum laudantibus, proflijt super omnes flammæ incendij liber officij Tolleranti illæsus omninò à combustione & c. ita refert ipsemet Historicus Archiepiscopus Rodericus lib 6. cap. 26. Pater Oueda in inform. Eccles c. 5. Archiep. Armachan. Testim 7 saculi.

Tertium Miraculum eo fermè modo contigit, quo olim Balaam Propheta, & Ariolo, hic enim accersitus à Balac Rege Moabitarum, ut malediceret populo Dei Israel, propositis ad eum finem Chrysen dethis auri, & argenti, quorum in Ariolo alias multum sacra fames, sed non est Consilium non est prudentia contra Dominum, ita enim Deus immutavit ipsi mentem, & linguam, ut exclamare dolens debuerit, ecce adsum, si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri,

non potero commutare Verbum Dei. ---
 quomodo maledicam, cui non maledixit
 Deus? --- benedictionem prohibere non
 valeo. vide num. 22. & 23. Ita sanè
 contigit Mantua ubi cuiusdam Relig. nunc
 non nominanda Professor, multum sua ar-
 roganti scientiæ confidens, stata die conuo-
 cato populo, inuitato Marchione, apposi-
 ta circumcirca quasi librorum Bibliotheca,
 & mox inde orsus ab alto suggestu, contra
 originalem Virginis puritatem dicere vo-
 luit, sed non potuit, tentauit, sed non
 prauauit, nam Beatissima Virgo ita eius
 organa uocis immutauit; uerba in ore
 mutauit, ut dum terue quaterue dicere
 uoluit B. Virg. Maria concepta fuit in
 peccato originali. Semper coactus fuit
 intermiscere illam particulam --- sine ---
 ita ut sensus fuerit B. V. Maria conce-
 pta est sine peccato originali, interim
 Marchione & toto populo Mantuano ob-

Stupescente, & non minus B. V. vittricem
 manum haud dubie pertimescente, tragedia
 finem accepit. Pari modo simile miraculum
 contigit Assisi anno 1223. circa. septem
 Episcopos. Nimirum Assisien. Perusin.
 Tudertin. Spoletan. Fulginaten. Nucerin.
 & Eugubinum, qui cū ex mandato Honorij
 III. Indulg. Portiunc. supplicante S. Fran-
 cisco à Christo concessam, à Papa confirma-
 tam, stata die publicare debuissent, conspi-
 rantibus illis, ut tantum in decennium pu-
 blicetur, nihilominus Deo aliter verba
 suggerente, linguas dirigente, labia mouente,
 omisso decennio coacti sunt dicere in per-
 petuum, sicut ergo hoc est verendum &
 reuerendum miraculum, ita illud.

Quartum Miraculum Doctor irrefra-
 gabilis, Alexander Alenfis alioquin vite
 sanctimonia, & doctrinae excellentia om-
 nibus sui temporis Coetaneis adeo antecel-
 lens, ut fons vite & Doctor DD. sit

Vocitatus, dum secundum prudentiam hu-
 manae sapientiae in die Immaculatae Con-
 ceptioni dicata, hoc caeleste privilegium impu-
 gnare tentaret, mox in Cathedra Magi-
 strali tantis repente doloribus inuaditur,
 ut omnibus admirantibus, & condolen-
 tibus, Semimortuus fuerit inde extractus:
 sed paulo post sui compos factus, & voto
 emisso scribendi librum pro Immaculata
 Conceptione, ac Palinodiam cantandi con-
 tra ea, quae 3. sententia aduersus originalem
 puritatem dictauit: mox protinus conua-
 luit. Ita testantur Mundus Mar. discurs.
 40. num. 40. Pelbartus lib. 4. Stellar. p.
 1. art. 3. & obiter Bernard. de Bust. p.
 1. serm. 7. His auditis, approbatis mi-
 raculis, quandoquidem sacra Scriptura
 quatuor sensus habeat, historiam, Ma-
 ralem, Allegoricum & Anagogicum, iux-
 ta hoc carmen.

Littera gesta docet: quid credas? Al-
legoria.

Moralis quid agas, quid speres
Anagogia.

*Hinc non immerito in sensu mystico ad
propositum nostrum adaptatur à Venerabi-
li Bernardino de Bustis illud Jsaia 60. v.
14. Venient ad te qui detrahebant tibi.*

*Quintum Miraculum refertur in Ann.
Capuccinorum ad Annum 1586. num. 15.
videlicet cum Urbs Genuensis eodem An-
no, Lue Epidemia, ad interitum misere
laboraret, tunc nocte quadam magno Dei
seruo Fr. Bernardino à Cherio Capucino,
in oratione pernoctanti, & enixè suppli-
canti, vt diuina misericordia afflictæ Rei-
publicæ dignaretur fieri propitia, tum de-
super à Patre Luminum reuelatum est, iu-
stam Dei iram placatam iri, si Senatus vo-
to se astringeret ad cultum honoremque
Immaculatae Conceptionis, in futurum, qui-*

bus relatis, & Senatu diuinis Monitis acquiescente, Vrbs tota ita citò protinus conualuit, vt vnanimiter creditum sit, Immaculata Virginis ope, diuinum hunc contigisse fauorem.

Sextum Miraculum vt testatur Bernardinus ille celeberrimus de Bustis. p. 1. serm. 7. Contigit circa quendam alias nominatum, ob reuerentiam autem Religionis cuius erat, vt Aynonimum citatū, professione Literatum, scientia inflatum, temerarium autem in Mariam Spiritus Sancti Sacrarium, Nam incredulitate Dydimi erga B. Virg. originalem Munditiam adeo obcaecatur, & Pharaonis ad instar sit in tantum obstinatus, vt suggestum ascendere, vbi os in Cælum ponens, Mariam sp. S. Templum pollutum dicere, non erubuerit, originali Labe inquinatam corā promiscua multitudine, ad piarum Aurium offensionem asserendo, & quantum potuit probando: sed

non impunè, nam in medio dicendi non solum lapsu grauiore instar persequentis Saulis Corruit Pronus prostratus: Sed etiam ad instar Zachariæ, Gabrieli Archangelo fidem denegantis deque Cælestibus promissis dubitantis, sic hic garrulus præco, de repente perdidit promptæ modulorum loquelæ, peremptæque obtundi senserat organa vocis, ut toto tempore vitæ obmutuerit Nolens, qui paruo tempore reuerenter obmutescere debuit volens; ita refert Bernardinus de Bustis ubi supra Licet parciore Verborum Compendio indigno tanti portentis claritate.

Septimum Miraculum Reuerendissimus P. Iacobus Laynes, secundus Generalis Societat. Iesu, febre quartana prolixè laborans, ea die, qua è rostris cum summa energia deuotioni coniuncta, coram Oecumenico Concilio Tridentino pro Immaculata V. Conceptione perorauit, omnium aures erigendo, animos recolligendo, oculos

in se conuertendo, affectus in B. V. Immaculatam Conceptionem accendendo, se uerba à diuino pneumate mutuasſe manifeſtando, uix orationem diuini ignis incenſiuam, feliciter finierat, cum diuina opitulante gratia, & B. V. ope calitus medicante febris illa diu naturaliter incurabilis, tota prorsus ſupernat. euanuerat, ut teſtatur Mūdus Marianus diſcuſ. 5. n. 19. & noſter Euang. à Mominio diuinus Eccleſiaſt. in diar. qua drag ſer ſuper Miſſus eſt.

Octauum ſtupendum Miraculum accidit in Germania noſtra, ut refert Bernardinus de Buſtis par. 1. ſerm. 7. nimirum, dum quidam Religioſus cuiuſdam Ordinis nunc ob reuerentiam ſubticendi, contra Immaculatam Virg. Conceptionem poſt prandium prædicaret, quando nec ventre penu, nec mente amaroris felle caruerat, ſiue ex ignorantia, ſiue ex pertinacia (Deus ſcit) poſtquam fellis amarorem,

enomuit, & semina zizania aduersae opi-
 nionis in populo satis seuit, vt diutius il-
 latis iniurijs per illarum confirmationem su-
 turaretur, vtq; suis diebus, auditorij fi-
 dem efficacius conciliaret, diuinam ultio-
 nem audacter irritarat imprecaudo, vt ad-
 huc ipsa concionis die, mala mortis interem-
 ptione, diuinam mereatur sentire ultio-
 nem, si in sua Concione vel Dei incurre-
 rat indignationem, vel apud B. V. in lapi-
 dem impegerat offensionis, vel vera do-
 ctine fecerat impugnationem, qui non ob-
 sui, sed B. V. reuerentiam meruit exau-
 diri ad aliorum terrorem & aeternū exem-
 plum, nam postquam Chorum ad Vespera-
 rum concentum est ingressus, eum subse-
 quitur velut torua leana lupum, aut velut
 vorax lupus ipse capellam, mire magni-
 tudinis & raræ audacie lupus, qui vehe-
 menti impetu factò in illum Predicatorem,
 cum in omnium oculis suffocarat & diuine
 se

se *Ulionis* Ministrum factum manifesta-
rat, peracto autem ministerio sibi diuini-
tus commisso, ad suas latebras siluestres
nunquam postea comparēdo, properarat. Ut
testatur *Bernardinus de Bustis* ubi supra
licet ieiuniori verborum influentia, quam
tanti miraculi maiestas postularet.

- *Nonum Miraculum.* Quidam Ciuis
Aquilanus B. Virginis Immacul. Conce-
ptioni mirum in modum credulus, & de-
uotus, dum quadam die ex humana fragi-
litate dans locum irae, passione sanguinis
ebullētis aded obcecatur, ut capitalem ini-
micum sub potestate habitum, interficere
proposuērit, & pugionem ad eundem finem
extraxerit, nihilominus dum interim in
tantum sui compos effectus est, ut B. V.
Immaculate conceptam orauerit, ut pra-
dominanti passioni modum imponere digna-
retur seq; ab imminente peccato immacula-
tum preseruare; ubi ecce quomodo mox ad-

fuit

fuit diuinum subsidium & liberatrix fidelium, nam de repente pugionem alias retortum & firmum, ita contra omnem naturam artisque modum inflexit, & retorsit, ut, nulli deinceps neque ad ferendum neque ad pungendum vsui esse posset; quo viso miraculo non solum ambo obstupuere & fœdera pacis haud dubie iniuerunt, sed insuper ad Immaculatæ Virginis honorem & aliorum exemplarem stuporem, pugio sic incuruatus, vsq; in hodiernum diem Aquilæ monstratur ut refert Bernardinus de Bustis p. 1 ser. 7.

Decimum Miraculum. Dominus Franciscus de Corijs Mediolanensis ex nobili prosapia, per multos menses febris ethica laborans, dum quadam die deuotum discursum in fauorem Immaculatæ Conceptionis doctè inchoasset, & neruose continuasset cum quodam Religioso aduersæ opinionis; qui valde pertinaciter in contrarium
discur-

discurrebat, tunc praefatus Dominus zelosa ira instinctus, Deum coram Religioso instan. er rogare capit, ut iustum iudicem agere, & notabile aliquod iudicium inter se & aduersantem Religiosum facere dignaretur; His in pia amaritudine dictis, iudicium mirabile dictu factum est, nam febris ethica statim nobilem deseruit, aduersarium autem Religiosum animo & opinione febricitantem de repente corporaliter inuasit, & per multos menses maceravit in carne, quem febris infidelitatis deterius infirmauerat animo, ac falsitas opinionis ita fecit dogmate febricitare, ut doctrinam nollet sustentare sanam, ita idem Nobilis oretenus retulit, ut testatur Bernard de Bustis p. 1. ser 7.

Vndecimum Miraculum. Magister Ioannes de Viterbio studiosius quam fructuosius Immaculatam Conceptionem impugnans ad mortem vsque nulla spe vitae

etiam

etiam Medicis relicta, infirmatur: hinc
 animo cogitare cepit, morbum tam repen-
 tinum & grauem, diuinam forsan ultio-
 nem esse, ob impugnationem immaculate
 Conceptionis, unde recordatus miraculi,
 quod contigit circa Alexandrum de Ales,
 ideo sapere sed non sero cepit: nam doctri-
 nam superioris etatis detestatus, votum
 emisit celebrandi & mysterium & festum
 Immaculate Conceptionis, & annuntian-
 di in futurum innocentiam originalem,
 reuocandique publice è Rostris quidquid
 hætenus contra eandem prædicauit, in
 cuius originalis innocentie testimonium sa-
 nitatem sibi reddi feruenter rogauit, qui-
 bus peractis; corpore & animo, adeò re-
 pente & integre conualuit, vt subito, da-
 to signo maioris campanæ, populum conuo-
 cauerit, miraculum enarrauerit, Virginis
 originalem innocentiam prædicauerit, &
 palinodiam contra à se antea dicta publice

cautauerit, vt testatur idem Bernardinus de Bustis vbi supra. Et Laurentius Chryzogonus Iesuita doctissimus in mundo Mariana discurs. num. 47.

Duodecimum Miraculum. Orta contentione publica in quodam pago Italię, inter vnum Franciscanum, et Religiosum alterius Ordinis circa Immaculatam Deiparę Conceptionem, inde etiam alia nata est altercatio. Et quidem inter mulieres tertij Ordinis, vtriusque Religionis, quę eò audacia vel potius fiducia perrexit, vt illa tertij Ordinis S. Francisci conditionem obtulerit probandi rem miraculo, accendatur inquit copiosè ignis in medio in quem amba introeamus, et quę ex nobis combusta fuerit, falsę opinionis fuisse comprobetur, placuit conditio alteri, accenditur ergo ignis, et amba pari animi audacitate, sed non pari fidei veracitate, ignem ingrediuntur, vbi illico Tertiaria illa opinionis

contraria primo in flammis, postea in fauillas redacta est, sed Tertiaria illa S. Francisci: cuius fides instar illius Chananea & que vera ac magna fuit, prorsus illa se remansit, in signum veracitatis illius doctrinae pro Immaculata Conceptione, cuius virilis propugnatrix generosa virago fuit. Testis huius est idem Bernardinus de Bustis ubi supra, cuius testimonia quanta auctoritatis haberi debent infra in fine monstrabo.

Decimum tertium Miraculum. Frat. Thomas de Bohemia Franciscanus, adeo cras humore vacuum, & tibiam vigore destitutam habuit, ut non nisi abscissione pedis curandum, Medici iudicarint; hinc ipse necessitate coactus, & pietate allectus, B. V. Immaculatè conceptam proferens & credens, confidentius præ cæteris Cælicolis rogare cepit, ut in honorem suæ Immaculatæ Cōceptionis à se sumopere hæten^o culta, sanitatem sibi redintegrari procuraret,

ut efficacius petitam gratiam consequeretur ad eius honorem, uno pede stando in summo cruciatu, cum piissimo affectu Missam celebravit, qua finita ad omnium admirationem pedis infirmitas evanuit, & sanitas optata ad plenum fuit redintegrata, adeo ut sine alterius adminiculo, Lauretum & Romam pedester pro gratiarum actione, adierit, ita ipsemet oretenus retulit Bernardino de Bustis, ut testatur idem ubi supra, & Mundus Marianus discurs. 5. num. 48.


Decimum quartum Miraculum, Superne revelationi coniunctum, contigit circa Elsinum Abbatem Rhemensem in presentissimo naufragij periculo existentem, ubi mari intumescente, Æolo folles insufflante, Navi debiscere mimitante, Abbate pro se & socijs feruentius orante, & S. Nicolauum specialiter inuocante, Ecce apparuit S. Nicolaus mira claritate præfulgēs,

omnibus lætitiā ingerens, & fœlix Nunciū portans, nimirum sibi à B. V. commissum fuisse, ut periclitantibus opem, naufragantibus portum, inuocantibus subsidium, de super asportaret, imposita tamen lege ab omnibus acceptanda, & in posterum implenda, ut videlicet Immacul. Conceptionis diem 8. Decembris imposteriū celebrarent: quibus acceptis cōditionibus, Nicolaus pontificalibus amictus ornamentis disparuit, tempestas euanuit, mare se humiliavit, & tandem ad portum salutis optatum consolati peruenerunt. ut refert Mundus Marianus discus. 26. num 53. Card. Baron. petr. de nat. & Spinella apud eundem ibidem.

Decimum quintum Miraculum, Quandoquidem Dæmon ipse quidum ex proprijs loquitur, semper mendacia loquitur, quia est mendacij Pater ut dicitur Joan. 8. ideo pro miraculo habetur, si virtute diuina

aduratus & coactus per vim supernè fa-
 ctam, veritatem enarrat, vnde ut Mi-
 raculum, simile quid narratur, Marci 1.
 versic. 24. Quid nobis, & tibi IESV
 Nazarene venisti perdere nos, scio qui sis
 sanctus Dei. & Luc. 5. versic. 41. ibi,
 exibant demonia à multis clamantia & di-
 centia, quia tu es filius Dei. Sic etiam pro
 miraculo habendum est, quod Dæmon adiu-
 ratus in quodam possesso, à Prædicatore,
 & iterum à Serenissimo Duce Ferrariensi
 eloquenter & subtiliter semper affirmavit
 Dei Genitricem fuisse Immacul. conce-
 ptam; & consequenter nunquam sub illo-
 rum potestate fuisse: fuisset autem si in pec-
 cato originali concepta fuisset: nam ut con-
 stat ex Christo Ioann. 8. vers. 34. omnis
 qui facit peccatū vel in se, vel in Adamo,
 seruus est peccati. Testis etiam hui⁹ histo-
 riæ est Bernardinus de Bustis. Quam au-
 tem fide dignus sit hic doctissimus Auctor
 collige

collige ex Illustriss. Episc. Marco Ulyssiponensi. l. 6. cap. 40. ex Illustrissimo, & Reuerendissimo Gonzaga par. 1. Orig. Seraphicæ Religionis, & Martyrologio Franciscano ad octauum Idus Maij, qui omnes eum virum Religiosissimum, sanctitate insignem, philosophicis disciplinis ad nauseam usque instructum, iuris utriusque exactam peritiam consecutum, ac ne quid desideraretur, summis Theologis coaquantum prædicant & enarrant.



Secunda Ratio sumitur ex Dei Omnipotentia, ad præseruandum B. V. à peccato originali, Item ex Diuina complacentia volendi istam præseruationem. Tertio ex decencia præseruandi B. V. à peccato originali, ita quod summa rationis consistit in his tribus, potuit, voluit, decuit, iuxta hoc carmen: Christiparam decuit, potuit Deus Omnipotensq; Optimus & voluit, decus hoc Deus ergo Mariæ.

Omnipotens Deus potuit præseruare B. Virginem à culpa originali, Idem tamquam optimus, id voluit, id etiam B. V. decuit, hinc ergo omnino rationabiliter concludendum est, id esse factum: quia ut aliquid fiat, ista tria sufficiunt, sincere ergo procedamus per ordinem, ut clarè ostend-

ostendamus, an ista tria requisita concurrerint ad præseruandum B. V. & ordiamur ab omnipotentia sic.

Primum Membrum de Omnipotentia monstratur ex varijs capitibus sic; primo potuit utique Deus illam ita creare, ut nullo modo esset filia naturalis Adæ, nimirum illam creando sine Patre & Matre, immediatè ex limo terræ, sicut fecit Adamum, vel ex hominis costa sicut fecit Euam Gen. 1. vel ex Matre sine Patre carnali, ut fecit Saluatorẽ nostrũ. II. potuit in sua diuina intentione excipere B. V. ab illo generali peccato et lege mortis lata Gen. 2. etiamsi vi generationis sit filia naturalis Adæ sicut Gen. 6. generaliter ait, Delebo hominem quem creauĩ à facie terræ ab homine usque ad animantia --- finis vniuersæ carnis coram me --- omnis quippe caro corruperat viam suam &c. & tamen ibidem excipitur Noe

non solum ab illa generali deletione hominis per diluuium, sed etiam ab illa generali & personali corruptione peccati actualis ibi narrata: nam ibidem dicitur Noe vir iustus atq; perfectus fuit --- cum Deo ambulauit. Tertio Deus propter libertatem agendi extra se, potuit pro suo libitu, & pro quocunque momento seu instanti infundere gratiam sanctificantem B.V. adeoque potuit in ipso animationis instanti omnium primo, infundere, gratiam sanctificantem & libertatis filiorum Dei, incompatibilem cum peccato & seruitute Diaboli, quae gratia ideo 1. Petri 1. & 1. Io. 3. appellatur semen incorruptibile Dei quo quis ex Deo nascitur &c. exemplo autem clariore Sole probatur quod Deus potuit dare gratiam libertatis filiorum Dei B.V. pro primo momento siue instanti suae animationis & Conceptionis, Nam Princeps habens sub se mancipia & legaliter seruos,

potest gratiã libertatis donare futura, unius
 proli, pro primo instanti quo concipitur
 aut animatur: ita ut ab illo instanti &
 momento inclusive, sit liber conceptus &
 liber natus, seu in gratia Libertatis ----
 adeo ut vere dici posset, quod nunquã fue-
 rit sub servitute, eo, quod simul cum esse
 nature accepit esse in gratia libertatis. Sic
 etiam cum natura Adæ & Evi fuit con-
 creata iustitia originalis & libertas filio-
 rum Dei, ut colligunt DD. ex illo Eccles.
 7. Deus creavit hominem rectum, &c.
 itaque de Omnipotentia Dei ad præservan-
 dum B. V. ab originali peccato, nullus da-
 tur ambigendi locus. Nunc.

Probatur Secundum Membrum de
 Divina complacentia volendi præservatio-
 nem B. V. à peccato originali; nam Deus
 eò quod sit optimum vivens & sempiter-
 num, ut dicitur 12. Met. ideo, ex mora-
 libus faciendis ad sui Nominis honorem
 sem-

semper intendit, & vult, quod sanctius,
 perfectius, & melius est, unde compa-
 rando quodammodo naturam cum Deo recte
 S. Thomas 1. p. q. 47. ait, natura fecit
 quod melius est, multò magis Deus. . . &
 S. August. de libero arbitrio cap. 5. ait,
 quidquid tibi vera ratione melius occurre-
 rit, hoc scias fecisse Deum tanquam bono-
 rum omnium conditorem. & lib. contra
 aduersar. legis cap. 14. ait, usque adeo
 desipiendū est, ut homo videat melius fie-
 ri debuisse & Deum credat facere noluisse.
 Et S. Cyrillus Alexand. lib. 1. Thesaur.
 cap. 1. ait: Omnia Pater potest & melio-
 ra semper vult. & Christus ipse hoc vel-
 le maioris perfectionis indicat Math. 5. v.
 48 ibi, estote vos perfecti sicut & Pater
 vester cælestis perfectus est & Levit. 21.
 Deus ad Sacerdotem ait: Sit ergo sanctus,
 quia & ego sanctus sum Dominus. Ex his
 igitur manifestè constat quod in moralibus

ad


ad diuini nominis honorem Deus vult, quod melius & sanctius est: sed iam manifestum est, esse multò sanctius & perfectius, B. V. concipi & nasci ut filiam gratiæ, gloriæ, & Diuine prerogatiuæ, quam ut filiam iræ, filiam vindictæ, filiam pœnæ, filiam gehennæ: melius esse concipi ut filiam Dei ex semine gratiæ, quam ut filiam Diaboli ex semine peccati originalis, concipi in libertate filiorum Dei, quàm in seruitute Diaboli: quia ut inquit Christus Joannis octauo. Filius scilicet Dei, manet in domo in æternum seruus autem non manet. Ergo sicut Deus ut Omnipotens potuit, ita ut optimus voluit, Dei Genitricem gratia P L E N A M, benedictam super omnes mulieres præseruare à peccato originali, sic enim facilius intelligitur, quomodo gratia plena? quomodo Dominus secum? quomodo super Euam & ceteras mulieres benedicta.

Ter-

*Tertium Membrum. De decentia præ-
 seruandi B. V. à peccato originali. Pro-
 batur nam vt dicitur Psal. 93. Domum
 Dei decet sanctitudo in longitudinē dierum
 &c. Dedecet enim sapientiam Dei intrare
 in animam maleuolam aut habitare in corpo-
 re subdito peccatis, vt constat ex sap. 1. De-
 cet vtiq; vt Imperator ea priuilegia, quæ
 ipse habet, concedat Augusta: prout habe-
 tur in leg. Princeps ff. de legib. instigante
 sapientia Dei, quæ ait: per me legum con-
 ditores iusta decernunt. Item decet vt ha-
 betur leg. sacris ad 3. cap. de proximis sa-
 crorum scriniorum lib. 12. vt Mater gau-
 deat priuilegio filij: decuit enim, vt inquit
 Anselmus lib. de conceptu virginali, Ma-
 trem Christi ea puritate nitere, qua maior
 sub Deo nequit intelligi, cuius ratio est,
 quia Deus Pater vnicum filium suum, quem
 de corde suo æqualem sibi genuit, & tan-
 quam se ipsum diligebat, ita B. V. dare di-*

sponebat, ut naturaliter esset vnus idem-
 que communis Dei Patris & Virginis fi-
 lius. Unde vt dicitur Luc. 1. deicit, ut
 esset benedieta super omnes mulieres, &
 gratia plena, quam plenitudinem Hierony-
 mus explicans super Luc. 1. Sic ait bene
 plena, quia ceteris per partes præstatur,
 Mariæ vero, se se tota infudit plenitudo
 gratia: Verè plena, quia etsi in SS. PP.
 & Prophetis gratia fuisse creditur, non
 tamen eatenus plena: in Mariam vero to-
 tius gratia quæ in Christo est plenitudo ve-
 nit quamquam aliter, & ideo inquit bene-
 dicta tu in mulieribus, id est plus benedi-
 eta quam omnes mulieres. Constat autem
 quod in Ioanne Baptista, qui est vnus ex
 Prophetis, tanta fuerit gratia, vt fuerit
 sanctificatus in utero, & constat ex Luc.
 1. ibi Spiritu Sancto replebitur adhuc ex
 utero Matris suæ. Constat etiam ex su-
 pradietis quod Eua fuerit concreata iustitia

originalis: si ergò B. V. est benedicta super omnes mulieres, utique decuit eam sicut Euam præueniri in benedictionibus dulcedinis, ut dicitur psalm. 21. id est, benedictionibus munditiæ originalis: si Ioannes Baptista non fuit eatenus plenus gratia, uti B. Virgo: hinc decuit, ut sicut ille post conceptionem & animationem fuit sanctificatus in utero, ita Mariam decuit sanctificari in utero, & in ipso instanti conceptionis & animationis. Ex his ergo tribus membris constat quomodo Deus potuit & voluit præseruare B. V. & quomodo eandem decuit præseruari.



Tertia ratio affinis priori sumitur ex
multiplici B. V. excellentia super
omnes creaturas ut supra Angelos,
Adam, Euam, & vtrumq; texum
quantumuis præcipuis Dei favori-
bus sublimatum, & prærogatiuis
decoratum.

Quandoquidem B. Virgo fuerit præ
cæteris, gloriæ excellentia & alijs
quibusdam honoris prærogatiuis sublimata,
quæ etiam ampliolem & excellent. gra-
tiæ prærogatiuam, ultra eam quæ in cæte-
ris reperitur, præexigunt. Idcirco non
inaniter, ex multiplici eius dignitate, &
cælesti excellentia super omnes creaturas,
formatur argumentatio ad probandum eius
specialem prærogatiuam præ cæteris, in san-
ctitate, ita ut licet gratia sanctificet alios
subleuando illos à peccatis in quibus iam
erant,

erant, Mariam tamen sanctificet non subleuando, sed præsauerando à peccatis in quibus nunquam erat, sed virtute obumbrante ab alto, immunis remanebat. Huiusmodi autem B. V. excellentia & prerogatiue supra ceteras creaturas, maxime sunt quatuor.

Prima est eius dignatiua per Deum electio, ut fieret Idonea Mater Dei & prima Ministra noui testamenti --- secunda est eius Specialis præparatio ut fieret habitatio domus & Templum Dei --- tertia est eius excessus in gloria, seu maioritas in visione Dei & Arcanorum eius: quarta est eius Honor externus quo ad superioritatem domnandi & eminentiam præcedentiæ localis in Cœlis, iuxta igitur has 4. prerogatiuas & quadruplicem excellentiam formanda est quadruplex argumentatio.

Sit ergo argumentum primum, ex dignitate electionis ut fieret idonea Mater Dei.

Apostol. Adeo pie gloriatur in Domino, de assumptione humanitatis ad Deum ex B. Virg. semine Abrahae, ut ad emulationem Angelorum Hebr. 2. dicat Nusquam Angelos apprehendit sed semen Abrahae & c. & S. Gregor. lib. 1. Reg. cap. 1. ait B. semper Virgo Maria Dei Genetrix --- omnem electa creaturae altitudinem, electionis suae dignitate transcendit. & Venerab. Beda l 4 c. 49. in Lucam: ait eadem Dei Genetrix & inde quidem Beata quia Verbi Incarnandi ministra facta est temporalis. & B. Albertus Magnus super Missus est ait ad B V sic: inuenisti gratiam apud Deum excellentissimam ut in Tui puritate Idonea fores tui & omnium Creatoris Mater esse dignissima & c. Ergo sicut habuit hanc specularem

cialem dignitatem electionis, ad esse
 Matrem Dei qui peccatum non fecit nec do-
 lus inuentus est in ore eius, Ita etiam B. V.
 habuit specialem puritatem, aut saltem
 equalem puritati Angelorum in quibus
 nunquam originale aut actuale fuit; Ratio
 consequentia est totius Nostrae intenti est,
 primo quia ut ait Aristot. lib. 4. de part.
 Animal. partus ex viro robur ex foemina
 autem formam venustatemq; accipit
 & c. 2. quia Salamon Prouerb. 17. v. 6.
 ait Gloria filiorum parentes eorum.
 3. quia Ecclesiastici 13. dicitur sic omnis
 caro ad similem sibi coniungitur & c. Sed
 ut manifeste constat ex psal. 44. qui teste
 Lyrano totus est de Christo, ipse Christus
 tam in anima quam in corpore, est ut ibi-
 dem dicitur speciosus forma praefilijs
 hominum & ut dicitur Hebr. 7. inno-
 cens impollutus & segregatus a peccatis om-
 nibus est, ergo etiam B. V. eius sanctissi-
 ma

ma Mater habuit similem venustatem formam & puritatem in carne & anima: alioquin ille diuinus partus non acciperet venustatem & formam ab illa sanctissima femina: Nec ipsa ut parens esset gloria innocentis filij: nec caro Christi coniungeretur ad carnem similem suæ carni, si B. V. haberet peccatum originale siue in anima siue in carne, quia ut ait S. Dion. cap. 2. de Eccl. Hierarch. peccatum originale est habitus dissimilitudinis ad Deum homini ingentis & c.

Secundum argumentum ex specialitate præparationis ut esset idonea habitatio Dei.

A Deo Deus iniquitatem odio habet, & puritatis in domo siue habitacione sua est amator, ut licet Rex David fuerit aliàs Vir secundum cor Dei prout dicitur Actor. 13. Nihilominus quia fuit pollutus sanguinis effusione, ideo Deus noluit ut domus siue tabernaculum manufactum
 I 2 illius

illius temporis Deo dicatum, fabricaretur per manus Dauidicas tantis peccatorum impuritatibus inquinatas, vt patenti claritate narrandi glossa non indigente, legitur. l. 1. paralipom. cap 28. cuius rationem reuerendam & merito memorandam dat sacra scriptura ibidem cap. 29. dicens sic opus grande est, Non enim homini preparatur habitatio sed DEO & c. iam sex sunt certissima primo quod duplex domus siue habitatio Deo dicata legatur in sacra scriptura 1. fuit manufacta. vt constat ex libro 2. paralip. cap. 6. 2. spiritalis cuiusmodi est quæuis anima sancta vt patet ex Hebr. 3. ibi, Christus tamquam filius in domo sua qua domus sumus Nos & c. Item ex 1. Cor. 3. ibi, Templum Dei sanctum est quod estis vos & c. secundo, certissimum est quod Deus non ita libenter & delectabunde habitat in domibus & templis manufactis sicut in domibus siue templis
spi-

spiritualibus inferri potest ex act. 17. v. 24. ibi Deus nō in manufactis templis habitat &c. 3. certissimum est, quod Deus habitavit duplici speciali modo in B. V. quo modo non habitavit in cætris ss. primo quia habitavit in cætris sanctis per unionem gratiæ, partita ad certam mensuram donationis Christi: ut constat ex 4. ad Ephes. & ex S. Hieronim. ubi supra cit. Ros. 1. & 3. In B. V. autem ut constat ex Luc. 1. habitavit per unionem gratiæ plenæ ad vincendum omni ex parte peccatum ut inquit. S. August. lib. de nat. & grat. iterum habitavit in B. V. per incarnationem. ut etiam constat ex Luc. 1. IV. certissimum est quod Deus non sic habitat speciali dilectionis modo in anima aut corpore subdito peccatis, præsertim mortalibus aut originalibus: ut constat ex sap. 1. ibi, in maleuolam animam nō introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis &c. cuius ratio-

nem dat cap. 7. dicens, quod sapientia est
 spiritus ---- sanctus ---- incoinquinatus
 ---- amans bonum ---- speculum sine ma-
 cula --- in animas sanctas se trāsferens etc.
 5. certissimū est quod Deus mundificat ta-
 bernaculum suum præsertim spirituale ab
 omni mortali & originali, ut constat ex
 psalm. 45. ibi, sanctificauit tabernaculum
 suum altissimus. 6. certum est quod Deus
 egre ferat si quis maculet suum Templum
 ut constat ex 1. Cor. 3. v. 17. ibi Si quis
 Templum Dei violauerit disperdet il-
 lum Deus &c. ex his iactis fundamentis,
 & notatis Principijs, hæc consequentia se-
 cundum S. Anselmum mox citandum est in-
 ferenda, vid. Ergo vel Deus est impotens,
 vel B. Virg. suum speciale Tabernaculum
 preparauit præseruando ab originalis pecca-
 ti inquinamento, sicut præseruauit à mortali
 & veniali inquinamento. Audi iam S.
 Anselm. lib. sæpe citat. de B. Virg. cap. 6.
apud

apud mund. Mar. disc. 18. ubi sic ait An
 inscia aut impotēs fuit Dei sapien. &
 virtus ut non sibi potuerit mundum
 præparare habitaculum? &c. Atqui
 de Omnipotentia Dei ad præueniendum seu
 præseruandum, per suam gratiam non est
 dubitandum, ut constat ex 2. Cor. 9. ibi
 potens est autem Deus omnem gra-
 tiam abundare facere in vobis &c. Ergo
 Deus B. V. specialem Dei habitationem
 præparauit, præseruādo illam per suam gra-
 tiam ab originali peccato, alioquin non ha-
 bitasset in illa per unionem gratiæ plenæ
 ad vincendum ex omni parte peccatum, nec
 habitasset in illa speciali præparationis mo-
 do, quomodo non habitat in cætris sanctis
 nec deletaretur plus in habitatione munda
 spiritali, magis quam in manufacta.

Tertium argumentum ex maiori gloria & excellentiori Beatitudine B. V.

S. Paulus Apost. Vas electionis, & D. gentium, docens quantum differentie versetur quoad brauium cœlestis remunerationis, inter satrapas Ecclesie triumphantis, propter stadium gratiose transcursum supernæ vocationis, inter Athletas Ecclesie militantis 1. Corinth. 15. sic exemplificando ait: alia claritas solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim differt à stella in claritate sic & resurrectio mortuorum &c. quomodo autem hoc modo apparuit gloria B. V. in cœlis, constat ex Apocalip. 12. ubi de B. V. dicitur sic: signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole & Luna sub pedibus eius, in capite eius corona stellarum duodecim &c. Unde S. Bernard. in 12. Apocalip. ait amplectamur. B. Mariæ ve-

stigia,

Stigia, potens est enim, nempe --- mulier
 est inter Solem & Lunam Maria inter
 Christum & Ecclesiam &c. Sed tanta ex-
 cellentia & tam copiosa mensura gloria,
 correspondet pari passu, & equali gradu
 ad parem excellentiam, & similem copiam
 gratiæ ut colligitur non tantum ex Rom. 8.
 & ex 1. ad Ioann. 3. ubi gratia appella-
 tur semen incorruptibile Dei, dans
 filiationem Dei & ius ad gloriam sed
 etiam ex Concil. Trident. sess. 6. can. 32.
 Item ex Concil. Florent. in Litt. Unionis
 ubi ait quod ex Beatis alius alio perfectius
 Deum & diuina videt pro meritorum
 (ex gratia scilicet manantium) diversita-
 te &c. ergo si B. V. excellit in gloria Ang-
 los, Adam et Euam: etiam in gratia excellit;
 unde merito S. Anselmus in Breu. Rom.
 ad usum Frat. Min. in 3. lect. 2. Noct.
 diei oct. Immac. Concept. ait O benedicta su-
 per mulieres quæ Angelos vincis puritate

¶ S. S. superas pietate etc. sed in Angelis fuit puritas à peccato originali ergo in B. V.

Quartum argumentum ex maiori honore externo à Deo exhibito B. V.

S*f semel constat quod B. V. in Cælis honoratur à Deo duplici honore externo, plusquam Angeli Archangeli Adam Æua & cæteræ creaturæ, Hinc etiam optime inferitur quod B. V. habuit puritatem & immunitatem ab omni peccato, vel magis, vel saltem æque ac Angeli Archang. Adam & Æua qui fuerunt conditi sine peccato originali, mortali, & veniali: atqui certum est quod B. V. in cælis accepit duplicem honorem externum à Deo, & filio suo qualem non fecit Deus Angelis Archangelis Adæ Æuæ aut ulli puræ creaturæ: primo quia dedit B. V. eminentiam & præcedentiam loci super omnes Aulicos & choros spirituum Cælestium ut testatur. S. Mater Ecclesia*

clesia ad festum Assumpt. 15. Aug. ad 1.
 psal. 1. Noct. ubi ait exaltata est sancta
 Dei Genitrix super choros Anglo-
 rum ad cœlestia regna. secundo Deus
 dedit B. V. superioritatem & dominatio-
 nem non tantum super Adam & Euan,
 sed etiam super omnes Angelos & Archan-
 gelos ut constat ex eius Litanij's Laure-
 tanis in & ab uniuersa Ecclesia receptis
 & approbatis presertim à sanctissimo D.
 N. Clemente VIII. 1601. in illa constitu-
 tione quæ incipit sanctissimus 3. tom. Bul-
 larij in append. in quibus Litan. B. V. apel-
 latur Regina Angelorum --- Regina SS.
 omnium & c. Ut autē sciatur quanta sit au-
 thoritas Eccles. collige ex S. Augustino in l.
 cont. Epist. fund. ubi ait. non crederem
 Euangelio, nisi quia Eccles. Catholicæ
 Credo. ergo sicut B. V. habet hunc dupli-
 cem honorem à Deo supra omnem creaturam
 cœlestem: ita etiam habuit specialem gratiam

san-

sanctificantem ab omni peccato quam non habuerunt cætra creatura vel saltem æqualem. Hæc consequentia fundatur in sequentibus Regulis & quasi primis Principijs acceptis communiter à DD. tractantibus de natura & conditionibus Honoris. Primo ergo certum est inter omnes DD. citat. apud Bonac. disp. 2. de contract. q. 4. punc. 1. quod generaliter honor in honorante sit quo externe manifestat quis opinionem quam habet in se de alterius excellētia idest honorati, Secundo, certum est inter DD. quod in prudente & vere æstimante, Æstimatio moralis sit vera appreciatio rei secundum dictamen rectæ rationis ut ex Aristot. testatur Hiquæus Lector Iubil. totius Ord. Seraph. diffinitor General. Consultor. sancti Officij. ac Scot. Commentat. tract. m. ss. de Incarn. disp. 2. q. 2. Tercio, Certum est ex S. Thom. secunda secunda q. 163. a. 3. apud Bon. tom. 2. disp. 6. quod


quod honor erga parentes duo comprehen-
 dat, 1. actum internum & extremum quo
 honorans testatur eminentiam honorati pa-
 rentis. Secundo, succursum parentum ex
 bonis proprijs filij, in illorum necessitate
 &c. Quarto, certum est quod hæc obligatio
 filij ad honorandum parentes suo succursu,
 plus urget ad succurrendum, quando sunt
 in necessitate spirituali ut idem Bonac.
 punc. 2. infert cum cætris DD. ex S. Tho.
 secunda secunda q. 100. ar. 2. ergo cum Je-
 sus Christus Deus & homo, B. V. filius,
 eandem suam Matrem honorauerit in cælo
 duplici honore externo super Adam, &
 Eua, Angelos & Archangelos: hinc mani-
 festum est quod B. V. habuerit in se specia-
 lem excellētiam sanctitatis & puritatis ab
 omni peccato, qualem non habuerunt cætri
 ss. aut saltem æqualem puritatem cum pu-
 ritate Adæ, & Eue, Angelorum & Ar-
 changelorum qui fuerunt conditi sine pecca-

20 originali, Alioquin honor ille externus
 & specialis Dei erga illam: non esset testi-
 monium verum de Beata Virgine sic ho-
 norata excellentia super omnes sanctos nec
 tanta aestimatio Beatae Virgine apud
 Deum, esset aestimatio vera aut secundum di-
 ctamen recte rationis; absit autem tam si-
 nistre iudicare de Deo Optimo Maximo qui
 personarum acceptor non est, ergo cum ho-
 norauerit B. V. super omnes ss. etiam An-
 gelos & Archangelos. Hinc recte infertur
 quod apud Deum sit vere aestimata ut san-
 ctior & purior ab omni peccato etiam ori-
 ginali --- à quo B. Virgine filius eam præ-
 seruauit ut eam condigne honoraret prout
 ratione. 6. Magis declarabo.



Admonitio.

VT penitius tres sequentes rationes
 capiantur, N.B. quod triplex fuit
 obligatio in Christo ut mediatore & Re-
 demptore, prima fuit ad redimendum ab
 originali peccato principalius quam à cæte-
 ris peccatis, secunda fuit ad placandum
 non qualitercunque sed Summe Deum
 cui reconciliauit per suam Redemptionem
 Redemptos. tertia fuit ad redimendum
 plus B. V. suam Matrem quam cæteros ho-
 mines generis humani.



Quarta

Quarta Ratio sumitur ex præstantia Redemptoris, & redemptionis præseruatiuæ à peccato originali, & ex obligatione maiori ad redimendum ab illo. Ex Scot. in 3. d. 3. q. 1.

Mediator Dei & hominum, Deus & homo Christus *JESVS* fuit non qualiscunq; , sed perfectissimus & plenissimus Redemptor, vt Prophetice, dicitur *Isaie 49.* vbi Deus appellatur Redemptor fortis & *psal. 130.* dicitur apud Dominum Misericordia & copiosa apud eum Redemptio & *1. ad Ephes. v. 7.* vbi de Christo dicitur sic in quo habemus Redemptionem secundum diuitias gratiæ eius, quas diuitias enarrans *Ioan. Apost. cap. 3.* ait: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum &c. filio scilicet suo,

suo, quem misit in mundum, ut glossa
 communis notat ex contextu. Ex quibus
 constat, quod omnibus numeris redimen-
 di fuerit plenissimus & absolutus Redem-
 ptor ab originali: Duplex autem est Re-
 demptio omnibus nota, prima est preser-
 uatiua, qua preuenitur ab imminente malo
 siue sanitatis, siue fortunę siue vitę. Secun-
 da est subleuatiua ab aliquo ex his malis, in
 quod iam lapsus es, prima est utiq; perfe-
 ctior generosior & excellentior secunda,
 ut testatur S. Augustinus in illud psalmi
 83 ibi, eruisi animam meam ex inferno in-
 feriori etc. ubi docet, ideo erutū esse aliquē
 ex inferno inferiori, quia preseruatus fuit
 à quibusdam peccatis inferno dignis, in quæ
 lapsurus erat, nisi preseruatus fuisset, &
 exemplificando sic ait, quemadmodum
 si medicus videat tibi imminentem
 ægritudinem, forte ex aliquo labore,
 & dicat, parce tibi, sic te tracta,

his cibis vtere: nam si nō feceris ægro-
 tabis: si autem feceris saluus eris: tunc
 rectè dicitur Medico, liberaſti me ab
 ægitudine, non in qua iam eram,
 ſed in qua futurus eram &c. *Similiter*
exemplificat ibidem de incarcerando præ-
ſeruato à carcere, & de ſuspendendo præſer-
uato à ſuspendio, & poſtea ſic ait in his
omnibus non erant, ſed quia talibus
meritis agebatur, vt niſi ſubuentum
eſſet, ibi eſſent: Inde rectè dicuntur
liberati quò per liberatores ſuos non
sunt permiſſi perducì &c. Id ipſum do-
cet S. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap.
 16. *ubi vtitur exemplo illius qui adco-*
peccauit in Regem, vt meruerit ſibi &
omnibus poſteris regiam indignationem, &
confiſcationem omnium bonorum, interim
aliquis illis ſubueniens, facit obſequium
tam eximij meriti apud Regem, vt non ſo-
lum meruerit Patri & filijs iam natis re-
 ſti-

stitui hereditatem & remitti offensam,
 sed etiam filijs futuris, ut non nascantur
 filij iræ, sed potius filij gratiæ Regalis,
 certe tunc ut inquit S. Secundum omnium
 iudicium, plus obligantur & perfectius li-
 berantur filij futuri nascendi in gratia Re-
 gali, quam filij iam nati, qui aliquando
 erant in disgratia Regali, & Rex plus
 placatur futuris, quam iam natis. Ex
 his ergo manifestè constat, quod prima Re-
 demptionempe præseruatiua sit centies per-
 fectior quàm secunda, quæ subleuatiua dicitur,
 nam præseruatiua est vera Redem-
 ptio copiosa, fortis, & secundum
 diuinæ gratiæ & potestatis diuitias. Sed
 Christus Redemptor noster copiosus et for-
 tis exercuit hanc perfectissimam Re-
 demptionem præseruatiuam circa B.
 V. præseruando illam à minoribus peccatis
 quam sit originale, nempe à venialibus
 etiam, ut docent omnes SS. PP. Eccles.

idq; docet Conc. Trident. sess. 6. can. 23. ubi ait, Si quis dixerit hominem semel iustificatum ---- posse in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia anathema sit. Id ipsum definitum est in Conc. Claramontano ut testatur Vega lib. 14. in Trident. cap. 18. Hinc ergo per necessariam sequelam sequitur, quod multò magis per redemptionem præservatiuam præservauit B. V. à peccato maiori, id est ab originali, quia principaliter venit in carne passibili ad redimendum ab illo; ubi aduertat quæso intelligens Lector, mentem recolligat, & iusta reflexionis trutina ponderet, an sit rationabile, an sit credibile? quod Redemptor tam copiosus, aut nollet, aut non posset, redimere præservatiuè B. V. ab originali peccato, cum tamen principaliter venerit ad

redimendum ab illo, quandoquidem B. V. præsauerit à minoribus, propter quæ tollenda non venit, nisi secundario & minus principaliter. Nonne incredibile est, quod Deus nō præsauerit à mortalibus eundem, quem dignatur præsauerare à venialibus quæ minus nocent. Si autem queritur, unde probatur quod Christus venit principaliter ad redimendum ab originali? Resp. id 1. Colligi ex vniuersalis Eccles. mente, in benedictione cerei Paschalis, ubi in hoc sensu ait. O necessarium Adæ peccatum, quod morte Christi deletum est. Item ex Conc. Tollet. 6. ibi, solum filium factemur ad redemptionem generis humani propter culparum debita, quæ per inobedientiam originaliter --- contraxeramus resoluenda. Item ex sancto Gregorio in quarto Reg. primo ibi, quidem si Adam nō peccaret, Redemptorem nostrum carminem suscipere nostram non oporteret. Apud

quos vide plurima clarissima testimonia
 sacre script. qua breuitatis gratia prete-
 reo, contentus vnico tantum & principali
 testimonio ex Rom. quinto, ibi, sicut enim
 per inobedientiam vnius hominis peccato-
 res constituti sunt multi: ita per vnius
 hominis obedientiam iusti constituentur
 multi.



Quinta Ratio sumitur ex eo, quod Christus tam irreprehensibili & perfectissimo modo redemit & reconciliauit Deo, vt plus fuerit Deus placatus Beatæ Virg. per redemptionem Christi circa illam quam fuerit offensus generi humano per infectionē peccati originalis quod Adam comisit, & posteris propagatione naturali seu seminali communicauit: & fundatur hæc ratio in obligatione Redemptoris ad placandum summe Deum cui reconciliauit.

Apostolus Paulus Rom. 5. in tantum pie gloriatur de abundantia reconciliationis iam factæ à Christo, eamq; ita commendat, vt docere audeat, plus donum gratiæ redemptionis profuisse. ¶

Deum placasse, quam infectionem culpæ originalis nocuisse, aut Deum offendisse. Si enim inquit cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati saluerimus in vita ipsius. Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Deinde ait, sed non sicut delictum, ita & donum, si enim vnus delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia vnus hominis I E S V Christi in plures abundauit, & non sicut per vnum delictum ita & donum, nam iudicium quidem ex vno in condemnatione: gratia autem ex multis delictis in iustificationem, si enim vnus delicto mors regnauit per vnũ: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes in

vita regnabunt per vnum IESVM
 Christum --- Idipsum colligi potest ex
 verbis Christi Ioan. 10. ibi. Ego veni ut
 vitam habeant & abundantius ha-
 beant. In his auctoritatibus illa parti-
 cula multò magis, gratia autem ex mul-
 tis delictis, in iustificatione: abundan-
 tius, abundantiam gratiæ, abundavit,
 denotant euidenter, maioritatem esse excessi-
 uam in dono gratiæ & redemptionis Chri-
 sti, supra malignitatem & damnum quod
 fuit in peccato originali Adæ. Sed hæc maio-
 ritas redemptionis consistit in quatuor ut
 notant Lyranus super Rom. 5. & Doctor
 subtilis in 3. d. 3. q. 1. primo fuit maior,
 quia Adam offendens Deum, fuit tantum
 homo & non Deus: sed redimens nempe
 IESVS Christus fuit Deus & homo.
 Secundo, quia peccatum Adæ, quo posteros
 infecit, fuit ut inquit Concil. Trident.
 sess. 5. can. 3. Origine vnum, licet
 pro-

propagatione sit vnicuiq; proprium :
 Sed peccatum à quo redemit Christus, non
 est vnum sed multiplex seu plura, nam re-
 demit principaliter ab originali: postea à
 mortalibus & à venialibus vt constat ex
 illo Apostoli ad Titum secundo, vbi ait,
 expectantes aduentum, gloriae magni Dei
 & Saluatoris Nostri IESV Christi, qui
 dedit semetipsum pro nobis, vt nos
 redimeret ab Omni iniquitate. Tertio
 quia Christus non tantum redemit nos ex
 multis delictis ad gratiam & amicitiam
 Dei in presenti vita, sed etiam ad visio-
 nem beatam seu gloriam Dei in futura &
 insuper ad glorificationem corporis per qua-
 tuor dotes corporis gloriosi, quae sunt cla-
 ritas, agilitas, subtilitas, & impassibili-
 tas. Quarto maioritas redemptionis &
 placationis diuinae praesertim erga Beatam
 Virg. consistit in hoc quod sicut Christus
 valde placauit Deum erga B. Virginem re-

dimendo illam præseruatiue à peccatis mor-
 talibus & venialibus ad quæ aliàs intentæ
 est omni tempore cuncta cogitatio cordis fi-
 liorum Adæ ut constat ex Gen. 6. Ita etiam
 summe placasset erga eandem & plus quam
 Adam offendit erga reliquos, si ean-
 dem redemisset præseruatiue à peccato ori-
 ginali, quod erat maioris momenti & alio-
 rum fons: & propter quod tollendum,
 principaliter venit in mundum ut Redem-
 ptor, & Dei placator. Sed certum est
 certitudine fidei, quod Christus in redem-
 ptione B. V. ita placauerit Deum, ut ean-
 dem redemerit præseruatiue à peccatis mor-
 talibus & venialibus, quæ appellantur
 peccata personalia siue actualia, & etiam
 ab intenta cogitatione in illa, quæ alias inest
 omni tempore alijs filijs propagatis ex Ada-
 mo, ut constat ex Gen. 6. & in hoc
 Redemptio excessit Adæ præuarica-
 tionem. Ergo etiam Deum summe pla-
 cavit,

cavit, & Adæ delictum ita sua redemptione excessit, ut eandem B. V. redemerit præservatiue à peccato originali quod solum fuit delictum illud Adæ quod Apost. vult non fuisse tam nocuum, sicut donum Redemptionis fuit proficuum, cur enim voluit placare Deum erga illam in minori & non in maiori? cur excessit Redemptio peccatum personale & non originale. Plus enim Deum placaret erga B. V. redimendo illam per præseruationem ab omnibus quam ab aliquibus peccatis & præseruando illam ab originali & principali peccato, per quod nascimur filij iræ ex 2. ad Ephes. quam præseruando à personalibus peccatis & minus principalibus, quod maximè ad oculum patet in exemplo S. Anselmi supra relato ex lib. 2. cur Deus homo cap. 16.

Sexta Ratio bipartita pro Redemptio-
ne præseruatiua B. V. sumitur ex
speciali & maiori obligatione
Christi tamquam filij, ad succur-
rendum Matri etiam in spirituali-
bus necessitatibus, plus quam cæte-
ris, & vicissim ex speciali obliga-
tione qua præ cæteris Mater debet
obligari ipsi, tamquam Mediatori,
sicut præ cæteris fuit obligata in
multis alijs.

Summum illud bonum Deus qui sicut
vidit omnia quæ fecerat esse valde
bona, ita ipsum bonum consistere fecit in
rerum modo, specie & ordine ut
inquit S. August. lib. de nat. boni cap. 4.
vnde idem S. August. lib. 6. de Trinit. cap.
6. docet vestigium Trinitatis reperiri in
creaturarum vnitae, specie & ordine,
quia

quia vnitas repræsentat originem, quæ
 est Pater, species pulchritudinem,
 quæ est filius, ordo delectationem
 boni, quæ est Spiritus Sanctus &c. &
 idcirco cum ordo sit delectatio boni, repe-
 riaturq; in Deo & creaturis, mirũ non est,
 quod etiam diuinum & humanum dilectio-
 nis donum, & charitatis vinculum Deo
 & creaturis commune, etiam in ordine
 consistere fecit, iuxta illud canticorum 2.
 Ordinauit in me charitatẽ etc. quẽ or-
 dinem charitatis explicat. 2. S. Am-
 brosius super secundum cant. Sic, multo-
 rum charitas inordinata est, quod in
 primo est: ponunt tertium, vel quar-
 tum, primo Deus diligendus est,
 secundo parentes, inde filij &c. Se-
 cundo & largius eundem ordinem charitatis
 explicat S. Hieronymus lib. 13. super cap.
 44. Ezechiel sic, scriptum est ordinauit
 in me charitatem, post omnium Pa-
 trem

Patrem Deum, carnis quoque pater diligatur, & Mater; & filius, & filia, frater, & soror. Item Magister sent. lib. 3. sent. d. 29. ubi ait, obuiat illud præceptum legis de diligendis parentibus, ex Deuter. 5. honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longæus super terram, ut quid enim specialiter illud præciperetur de parentibus nisi maiori dilectione forent diligendi & c. id ipsum S. Aug. lib. 1. doct. Christianæ cap. 28. ubi cum docet omnes esse diligendos, subdit dicens, sed his potissimum consulendum est, qui constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur; unde SS. PP. & DD. unanimiter concordant hunc esse primum ordinem diligendi, primo, Diligere Deum. secundo nosmetipsos. tertio, parentes & c. ut supra. Ita Magister sent. ubi supra refert, & Scotus ibidem & Illustrissimus

Archiep. Armach. ibidem, ubi bene con-
 siderant amorem erga alterum multipliciter
 ferri, primo, appetiatiuè, secundo, in-
 tensiuè; cuius gradus augmenti commodè
 explicantur per ista aduerbia tenerè, fir-
 miter, feruenter. tertio, officiosè, qui
 amor fit in externis obsequijs, & cultu.
 Magister autem sent. ubi supra insert
 ex S. PP. primo, & secundo modo, nos-
 met & parentes esse amandos supra alios
 proximos. Secundus ordo charitatis est,
 ut in amore nostri & parentum & proxi-
 morum & in illorum pari necessitate, plus
 optemus & procuremus illis bona spiritua-
 lia animæ ad vitam æternam conducentia,
 quam alia. Secundo, Bona vitæ corpora-
 lis, cæteris paribus. Tertio, Bona fama,
 quarto, Bona fortuna. Vide pro testi-
 monio Scholast. in 3. sent. d. 29. apud
 Scholast. Archiep. Armach. & Mag. ibi-
 dem; Ex his omnibus clarum est, Chri-
 stum

Etum qua, hominem & mediatorem Dei &
hominum obligatione huius legis, debuisse
in meditatione & redemptione mundi à pec-
catis, specialiter & præ cæteris subuenire
B. V. suæ Matri in tanta necessitate spiri-
tuali, nam vt ipse fatetur Math. 5. non
venit soluere legem sed adimplere, &
Ioann. 14. ait: diligo Patrem, & sicut
mandatum dedit mihi Pater sic facio,
& Ioannis 15. ait, ego Patris mei
præcepta seruauit & maneo in eius
dilectione. Sicut ergo specialiter dilexit
Deum communem omnium Patrem, ex obli-
gatione huius legis, ita etiam cæteris pa-
ribus, ex eadem obligatione legis dilexit
Matrem præ cæteris & honorauit, quia
vt inquit celeberrimus ore omnium Ioann.
Gerson Cancell. Parisien. infra mox citan-
duus naturale omnibus commune
est, vt filius debeat honorare Matrem.
Sed profectò vt idem exclamat serm. de

Concep. B. V. habito in Templo S. Germ.
 1401. nulla ratione sufficienter hono-
 raretur, Mater Dei, si inhonestum
 peccatum in ea aliquo tempore domi-
 naretur. *Addo etiam ego tria: primo quod*
nullatenus secundum ordinem charita-
tis eam dilexit præ cæteris. 2. quod nul-
latenus secundum ordinem charitatis ei ut
 Redemptor præ cæteris succurrit in
 summa necessitate spirituali animæ:
Si tantum eam, uti & reliquos homi-
nes, subleuauit, & non præseruauit à
peccato originali; quia ad specialem succur-
sum dilectionis secundum ordinem chari-
tatis, non sufficit quod eam præseruauit à
peccatis mortalibus, & venialibus, nam
plurimos paruulos iam baptizatos sic præ-
seruat, dum eos raptat ad meliorem vitam,
ne malitia mutaret intellectum eorum. Ter-
tio, Quod secundum ordinem charitatis
eius Redemptio circa eam, non fuit per vi-
 scera

ſcera miſericordiæ, *ut dicitur Luc. 1. quia ſecundum S. Auguſt. lib. 9. de Ciuit. cap. 5. miſericordia eſt miſeriæ alienæ quædã in noſtro corde compaſſio, qua vtique ſi poſſimus ſubuenire compellimur &c. potuit autem ſubuenire præſeruando; ergò vel ſic ſubuenit, vel ſi non ſubuenit, quomodo ergo ſecundum miſericordiam redemit & ſubuenit?*

Secunda pars rationis ſic probatur B. Virgo *ut conſtat ex eius cantico Luc. 1. non tantum ſe agnoſcit obligatam Deo propter beneficia mundo generaliter collata, & propter beneficia Iudeis, unde originem traxit, ſpecialiter collata; ſed etiam propter beneficia ſibi in perſona ſingulariter collata, ut notat Lyr. ſuper Luc. 1. ergo ſicut B. V. eſt præ ceteris Deo & Chriſto ſingulariter obligata ratione maioris glorificationis in cœlis, & ratione incarnationis in terris, & ratione exemptionis*

à punitione dolorosa in partu, ita esse debet ipsi specialiter obligata ratione maioris Redemptionis à peccato: hæc autem maior Redemptio est præservatio B. Virg. à peccato non tantum veniali, sed multo plus ab originali, quod est non tantum culpa, sed etiam pondus ad imā ferens, & pœna inutilis. Ergò sicut præservati sunt boni Angeli ab huiusmodi: Unde etiam specialiter obligantur, multo magis B. V. debuit sic præservari & obligari.



Septima Ratio pro præseruatione
 Beatæ Virginis sumitur ex eo
 quod fomes, quæ est effectus pec-
 cati originalis, & causa occasionalis
 peccati actualis, non fuit in Beata
 Virgine.

Vicumque fuit aliquando peccatum
 originale, ibi etiam aliquando fuit fo-
 mes peccati, Ratio huius est, quia fomes
 peccati est illa effrenis & rebellis con-
 cupiscentia carnis contra spiritum, &
 sensus contra rationem, quæ ex pec-
 cato originali nascitur, & ad pecca-
 tum actuale inclinatur & instigat: & pro-
 pter hanc instigationem Rom. 7. peccatum
 appellatur. Ita per omnia docet Concil.
 Trident. sess. 5. can. 5. sed nullo un-
 quam tempore fuit fomes in B. V. inclinans
 B. V. ad peccandum actualiter. Ergo nec

peccatum originale, unde nascitur fomes secundum Concil. Trident. maior propositio est eiusdem Conc. Trident. minor ergò propositio probanda est, nimirum quod fomes peccandi, qua nascitur ex originali, nunquam fuerit in B. V. accipe ergò probationes huius cum usura, & primò sic; ubi cunq; est fomes, ibi sunt duo, videlicet difficultas ad bonum: & pronitas ad malum ut docet Apostolus Rom. 7. ibi Non quod volo bonum hoc facio: Ecce difficultatem bene operandi. Sed quod nolo malum hoc ago: Ecce pronitatem ad male agendum. Sicut autem certum est, quod hilarem datorem diligit Deus ex 2. Corinth. 9. ita certum est, quod cum plena alacritate bene agendi, Deo inseruiendi, & cum Deo ambulandi Beata Virgo semper vixit: plus quàm vllus Noe, unde vt constat ex Luc. 1. Inuenit gratiam plenam dilectionis
apud

apud Deum. plus quam ceteri homines,
ergo præ Omnibus hilarius beneope-
rata est & libentius Deo inseruiuit.

Secundo patet, quia ex unanimitate con-
sensu DD. Catholicorum & ex Trident.
sess. 6. can. 23. Beata Virgo nunquam
actualiter peccauit nec quidem venialiter,
& Sic, fomes nunquam habuit suum
vsum aut exercitiũ in illa; ergo nullo mo-
do fuit in illa; plusquam in Adamo & Eva
dum fuerunt in statu innocentie, & plus-
quam in Beatis in quibus nullatenus erit.
Probat hęc consequentia sic: Ideo non
fuit fomes peccati in statu innocentie, quia
vt patet ex Eccl. 7. Deus ita fecit homi-
nem rectum, vt fomes nunquam ha-
buerit suum vsũ, aut rebellionis exer-
citiũ, durante illo statu innocentie.
Item ideo, non erit in Beatis in Cælo, quia
per dotes corporis gloriosi, ita repa-
rabitur perfectiori quodam modo,

illa rectitudo naturæ, quod erunt im-
 peccabiles, ita quod fomes nullum usum
 habebit, ergo si similiter non habuit usum
 in B. V. Hinc rectè infertur quod non fuit
 in illa plusquam in primis parentibus dum
 perseverarunt in statu innocentie, & con-
 sequenter quod originale non fuit in illa;
 nam hæc est regula generalis apud S.
 Augustinum lib. 5. contra Iul. cap. 7. 9.
 & 10. ubi de Christo agens, sic ait: pro-
 fectò peccatum etiam maior fecisset,
 si paruulus habuisset &c. Ex quibus
 verbis constat, quod duæ consequentiæ va-
 lent apud S. Aug. 1. paruulus habet ori-
 ginale, ergo quando fit maior, facit actua-
 le. Secunda Christus maior factus non fe-
 cit actuale peccatum, ergò paruulus exi-
 stens non habuit originale.

Octava ratio sumitur ex primo gradu consanguinitatis inter originaliter innocentem impollutumque Christum, ac inter Beatam Virginem suam Matrem; Item ex summa societate Dei & coniunctione Spiritus Sancti, & Christi cum B. V.

Sicut ab initio creationis mundi inter vesperè, & manè, inter lucem & tenebras, semper fuit diuisio & nulla coniunctio aut societas, ut constat ex Gen. 1. ita pariformiter dicitur 2. Cor. 6. quod nulla sit Participatio Iustitię cum iniquitate, quod nulla sit societas luci ad tenebras, quod nulla sit conuentio Christi ad Belial. & 1. Ioan. 1. dicitur sic: annuntiamus vobis, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt

sunt vllæ, si dixerimus quoniam scieratem cum eo habemus & in tenebris ambulamus, mentimur &c. *Ecclesiast.* 13. dicitur Sicut communicabit lupus agno aliquando; sic peccator iusto. Item ipsa sapientia Dei *Sap.* 1. ait, quod non intrabit in animam maleuolam nec habitabit in corpore subdito peccatis. Ex his fundamentis egregie probat *S. Thomas* 3. p. q. 27. ar. 4. quod, quantum ad peccatum veniale & mortale Belial nullam habuit conuentionem cum Christo in *B. V.* Item quod nulla tenebræ actualis iniquitatis participarunt in *B. V.* cum iustitia & luce Christi; Sed certè multo plus probant ad oculum, quod nunquam fuit in illa peccatum originale; & ratio huius sumitur ex relatis authoritatibus sic. primo, inter Christum & *B. Virg.* fuit coniunctio consanguinitatis in primo gradu. secundo, fuit singularis coniunctio Dei cum eius ani-

ma per unionem gratia, ut constat ex Luc.
1. ibi Ave gratia plena. tertio fuit spe-
cialis conuentio & coniunctio inter Deum
& eius carnem propter incarnationem Dei,
& propter Conceptionem ex Spiritu San-
cto ex Matth. 1. ibi, inuenta est in vte-
ro habens de Spiritu Sancto, quod
enim in ea natum est, de Spiritu San-
cto est. & Luc. 1. Ecce concipiet &c.
Ergo in illa non fuit peccatum originale.
Probatur hac consequentia sic. Partici-
patio anime cum iniquitate, societas ad te-
nebras, Conuentio ad Belial, fit prima-
rio & principaliter per peccatum originale;
ut patet euidenter ex Gen. 3. v. 4. 6. &
13. ibi, serpens decepit me. Item ex
sapien. 2. vers. 24. ibi inuidia Diaboli
mors intrauit in orbem terrarum &
clarius Romanorum quinto, versiculo 12.
per hominem peccatum in hunc mun-
dum intrauit & per peccatum mors
 &

& primo ad Timoth. 2. Versiculo 14.
 Mulier seducta in preuaricatione fuit;
 Si ergo mors per peccatum, peccatum per se-
 ductionem, seductio autem per Diabolum
 fuit, ergò conuentio cum Belial, partici-
 patio cum iniquitate, societas ad tenebras,
 maxime fit per peccatum originale, sed ora-
 culum Cælorum, vas electionis, Doctör
 gentium Paulus Apostolus ubi supra cita-
 tus, & alia scripturæ testimonia negant
 Christum & Belial fecisse cõuentionem, aut
 societatem in ullo habitaculo. Et tota Ec-
 clesia specialiter negat conuenisse Belial &
 Christum in B.V. nec quoad peccata ve-
 nialia, multo ergò minus quoad ori-
 ginale; sed forsan respondebis ex Ethimo-
 logia grammaticalis Nominis, dicendo ibi non
 fuisse conuentionem, sed successionem, sicut
 succedit manè ad vesperè & Vesperè
 ad manè; sed contra, si hæc responsio
 valeret, posset etiam valere dum proba-
 mus.

mus per illa sacra eloquia, quod nullum fuit
 peccatum veniale in B. V. sed sincere re-
 spondendo ad fundamenta Catholicorum
 DD. non habet robur hæc responsio, dum
 defendimus B. V. à venialibus; ergò nec habet
 robur inter Catholicos dum per eadem sacra
 eloquia defendimus illam ab originali. Ad-
 huc fortius. Contra, secundo sic Ecclesia-
 stici 13. v. 20. dicitur omnis caro ad si-
 milem sibi coniungitur & omnis ho-
 mo simili sui sociabitur Item axioma
 commune ait: omne simile generatactione
 vniuoca sibi simile. Unde ut notat
 Lyranus toto orbe celeberrimus sacra scri-
 ptura expositor super Rom. 5. Adam eius-
 que posteriam in statu natura corrupta, ge-
 nerant sibi similes, non solum quoad esse
 naturale, sed etiam quoad esse morale na-
 tura corrupta & per peccatum infecta;
 iuxta illud 1. Cor. 15. ibi, qualis terre-
 nus, tales & terreni. Iterum Lyranus
 super

super sap. 7. sic ait, si Adam stetit in originali iustitia generasset filios similes sibi potētes non mori. Item Anastasius Synaita Anagog: qq: lib. 6. prope finem ait, quis mihi aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus audebit dicere, quod quoad carnem attinet, non sit ad imaginem & similitudinem eius, qui ex ipsa natus est &c. ubi de B. Virgine loquitur. Sed anima & caro Christi fuit genita sine omni peccato siue originali, siue mortali, siue veniali, ergò similiter caro & anima B. Virg. generantis ipsum, coniunctæ, & sociatæ cum ipso, fuit semper sine ullo peccato, siue originali, siue mortali, siue veniali, quia ut ait Sanctus Dionis. ubi supra cap. 2. de Eccles. Hierar. peccatum originale est habitus dissimilitudinis ad Deum homini ingenus, ergò sicut Sua etiam in innocentia fuit facta adiutorium simile Adæ

Gen.

Gen. 2. ita Beata Virgo fuit in innocentia
adiutorium simile Christo.

Nonna Ratio pro redemptione præser-
uatiua, & Immaculata Conce-
ptione B. V. sumitur ex eo, quod
Adam eiusq; formatio de Imma-
culata Terra, fuit figura præsigna-
tiua Christi eiusque Immaculatae
Conceptionis ex Immaculata Vir-
gine.

Clarissimum est non solum ex cortice
litteræ sacrae scripturæ, sed etiam ex
eius sensu & spiritu viuificante, quod
Adam in plurimis figura fuerit Christi fu-
turi post ipsum, ita sine vlla tergiversatio-
ne constat ex 1. Cor. 15. v. 45 ibi Sicut
scriptum est: factus est primus ho-
mo Adam in animam viuentem, nouis-
simus Adam in spiritum viuificantem

✠

¶ Romanorum 5. v. 14. Sic ait, re-
 gnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen
 etiam in eos, qui non peccauerunt, in
 similitudinem præuaricationis Adæ,
 qui est forma futuri. &c. *Ista autem fi-
 gura* ¶ præfiguratio Christi in Adamo cõsi-
 stit in quatuor. 1. Sicut Adam est princi-
 pium hominum in esse nature: ita Chri-
 stus est principium hominum in esse
 gratiæ. Secundo, Sicut Adam diuina
 palladis arte, ¶ virtute formatus est de
 terra: ex Gen. 2. Ita Christus diuina
 Spiritus Sãcti virtute formatus est ex B.
 V. ex Luc. 1. ibi, Spiritus Sanctus super-
 ueniet in Te & virtus Altissimi obum-
 brabit tibi. Tertio sicut de latere Adæ
 formata est Eua sua sponsa, ex Gen. 2.
 ita ex latere Christi formata est Ecclesia
 spõsa Christi ex 5. ad Ephes. v. 32. ibi Sa-
 cramentum hoc magnũ est, ego autem
 dico in Christo & in Ecclesia. ¶ Ioan.

19. Unus militum lancea latus eius aperuit & continuò exiuit sanguis & aqua. Unde fundationi Eccles. rectè quadrat illud tritum.

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœp t:


Sanguine succreuit, sanguine finis erit:

Quarto, Sicut Adam formatus est de Terra, quæ nondum maledicta erat propter peccatum, ita Christus factus est de muliere nūquam maledicta peccato. Ita sanctus Andreas Apostolus docet his verbis; quomodo de Immaculata terra factus fuerat homo primus, ita necessarium erat, vt de Immaculata Virgine, natus Christus, vitam æternam, quam omnes perdiderant repararet, ita referunt Aloysius Lipom. & Presbyteri Achaia in lib. de pass. S. Andrea Apostoli vti superius relatum est

M

sed

sed manifestum est ex Gen. 3. quod terra quando formatus est Adam, non fuit maculata peccato nec ulla maledictione Dei, sed primum post transgressionem Adæ, sic enim legitur Gen. 3. vers. 17 Adæ vero dixit (supple Deus) quia audisti vocem vxoris tuæ & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes maledicta terra in opere tuo &c. Terra igitur de qua formatus est Adam fuit benedicta & immaculata, ergo B. V. de qua formatus erat homo Christus IESVS non fuit unquam maledicta, sed potius vt dicitur Lucæ 1. benedicta super omnes mulieres, & nunquam maculata.



Decima & vrgentissima Ratio sumitur ex eo quod vniuersa Ecclesia, quæ est firmamentum & columna veritatis, contra quam portæ inferi non prævalent, solemniter celebrat festum Immaculatæ Conceptionis & præseruationis ab originali peccato: ex institutione Sixti Quarti.

Quandoquidem constet ex 1. Tim. 3. quod Ecclesia est firmamentum & columna veritatis, contra quam non prævalent portæ inferi, nec fraus inimici, licet habeat mille nocendi artes, ideo SS. PP. & DD. dogmata tria docent vnanimiter. primum dogma est, quod quoad obligationem credendi, morum reformationem, sanctorum cultum & canonizationem, fideles habeant summam obligationem tenendi

pro re indubitata, quidquid vniuersali ritu,
 & constanti consuetudine deceditur
 celebratur & sentitur. ab vniuersa Eccles.
 vnde S. August. lib. 10. in Gen. cap. 23.
 ait. Consuetudo Matris Ecclesie in
 baptizandis paruulis nequaquam sper-
 nenda est, nec vlllo modo superflua
 deputanda &c. cuius rationem genera-
 lem dat in lib. contra Ep. fund. dicens non
 crederem Euangelio nisi quia Ecclesie Ca-
 tholicæ credo. Itē vt refert Aret. in summa
 d. 3. q. 1. art. 5. S. Thomas 2. p. q. 68.
 & 2. 2. q. 10. ar. 12. sic ait. Dicen-
 dum est, quod maximam auctorida-
 tem habet Ecclesie consuetudo, quæ
 in omnibus imitanda est, quia & ip-
 sa Catholicorum doctrina ab Ecclesia
 auctoritatem habet: vnde magis stan-
 dum est auctoritati Eccles. quam Au-
 gust. vel Hieron. vel alterius cuius-
 cunque Doctōris &c. Iterum S. Aug.
 epist.

epist. 118. ait, Sicut Domini passio, resurrectio & ascensio in Cœlum anniuersaria sollemnitate celebrantur, & si quid aliud occurrerit, quod seruetur ab vniuersa quacunque se diffundit Ecclesia, vt illa quæ non scripta sed tradita custodimus ---- dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri; in sollemnitate insaniæ est, dubitare de eo quod facit Ecclesia.

Secundum dogma est 1. S. Bernardi in *epist. sibi imputata ad Canonic. Lugdun. docentis*, reprobendam esse celebritatem quam Eccles. præsertim Romanæ ritus non agnoscit neque celebrat. & postea sic ait ego quod accepi ab Ecclesia id teneo.

Tertium dogma est S. Augustini docentis, quod Ecclesia nunquam celebrat

neque Conceptionem, neque natiuitatem, neque mortem vllam, quæ esset peccato origin. aut actuali infecta. Ita expressè docet in duobus locis, quæ nobis tradunt Illustrissimus Archiepiscopus Armach. & ante ipsum Illustrissimus Archiepiscopus Tuamen meus conterraneus qui teste Annal. Min. in Catal. scrip. ord septies vniuersam molem librorum S. August. perlegit studiose, & penetravit ingeniosè. Primus ergò locus ex S. August. est serm 113. vbi reddens rationem, quare non celebrat Ecclesia diem natalis S. Cypriani, sicut celebrat diem obitus sic ait. Illo enim die traxit originale peccatum: isto autem die vicit omne peccatum. Secundus locus serm. 95. de S. Stephano, vbi reddens rationem cur Eccles. colit duos dies in honorem Christi: nempe diem natalis, & diem passionis Christi. Et ad honorem Martyrum

tantum diem obitus . Respondet his verbis sic. Martyres ad mala certamina nascendo venerunt , trahentes originale peccatum : moriendo autem ad bona certamina trāsierunt finientes omne peccatum & c. His ergò positis fundamentis , construitur celsa argumenti fabrica sic. Stantibus his tribus dogmatibus SS. PP & DD. duo sunt certa. primo , quod Ecclesia suo ritu , præcepto , & consuetudine , non soluit hymni tributum , nec diuini officij pensum : nec missarum solemnia , nec diem festum sanctificat in honorem ullius Concept. aut natiuit. aut mortis , nisi illa Conceptio , aut natiuitas aut mors , sit secundum opinionem Eccles. sancta , & Immaculata Conceptio , præsertim à peccato originali , Item nisi sit sancta natiuitas , & similiter sancta mors . Secundo , non licere fidelibus , dubitare de sanctitate il-

lius Conceptionis, vel natiuitatis, vel mortis, quam Ecclesia suo ritu, & consuetudine colit, ut sanctam; quo sensu S. Thom. quod lib. 9 art. vlt. docet non licere dubitare de sanctitate illius. S. quem Ecclesia & Romanus Pontifex sacro ritu canonizat. ita refert ex ipso Franc. de Velasco tom. 2. disp 16. q 8 p. 3. Atqui vniuersa Ecclesia, per Missarum solemniam, pensum horarum Canonicarum, diei festi 8. Decembris sanctificationem, celebrat solemniter Conceptionem Immaculatam B. V. æquè ac celebrat eius Natiuit. & hoc ex institutione Sixti IV. in tribus constitutionibus relatis satis Ros. 2. Item post Six IV. Innocent VIII. Alex. VI. Jul II. & Leo X. prout ibi narratur satis abunde: ubi si libet re legere licet ergò secundum opinionem, & ritum vniuersæ Ecclesiæ, æque certum est B. V. Conceptionem, esse sanctam & Immacu-

latam æq; ac est natiuitas eius de qua nunquam fuit dubium in Eccl. Cathol. Item in Ecclesia Græca fuit moris ante mille annos celebrare festum Immaculatæ Conceptionis; unde sicut signantur in nostro Calendario Latino, sic in Ecclesia Latina, ita inter festa græca signata in Calendario græco, fuit Conceptio Immaculata B. V. in S. Anna notata sic: Conceptio munda B. Annæ, Dei & Domini Nostri Auix. Ita testantur Illustrissimus Archiepiscopus Armach. in testim. 1. & 2. Sæculi, nos ter Gallatin. lib. 7 cap. 5. Suarez tom 2. in 3. p. D. Thom. disp. 3. sect. 5. Sic etiam festum Immacul. Concept. celebrabatur in Ecclesia Abyssinorum Ætiopum in Affrica, in quorum Liturgia & oratione ad B. Virg. dicitur sic. Latere Immaculata vere Regina. &c. & in Liturgia eadem post elevationem in Missa sic. Hoc est corpus, quod assumpit ex Domina nostra

stra

stra Immaculata Virgine Maria &c.
 quam festiuitatem & Liturgiam aiunt se
 accepisse ab Apostolis. Ita testantur idem
 Illustrissimus Archiepiscopus iam citatus &
 Fabricius Boderianus in Ep. proem. ante
 vers. Syriacam & Oieda in inform. Eccles.
 pro Immacul. Concept. cap. 2. apud eundem
 Archiep.

Ad hanc rationem Magistralem tan-
 ta energia inter fideles, obmutescere debet
 omnis sanę doctrine Professor. Nihilomi-
 nus ausus est quidam, ad insipientiam si-
 bi, respondere tergiuersando, non soluen-
 do in tract. contra Concep. 2. p. Rat. 10.
 docens duplicem esse Conceptionem, natu-
 ralem & spiritualem: Naturalis de qua
 est nostra controuersia, est illa infusio ani-
 mę rationalis corpori debite organizato,
 qua mediante cōcipitur esse humanum
 & hominis. Spiritualem Conceptionem, se-
 cundū ipsum est sanctificatio animę in ute-
 ro,

ro, non quidem ante sed post contractionem peccati originalis, siue fuit intra quadrantem post, siue intra horam, siue intra diem, siue intra mensem, qualem habuit Ioannes Baptista vt constat ex Luc. 1. ibi Spiritus Sancto replebitur ad huc ex utero Matris suæ. Et sic: ait ab Ecclesia celebrari duntaxat, Conceptionem spirituales B. Virginis, non vero naturalem iam nominatam: multo minus comixtionem seminum, in qua per propagationem seminalem transfunditur peccatum originale. Sed vis scire quam mendosa, quam eneruata, sit ista responsio? Aures erige, & audi. Contra ergo responsionem istam est in primis ipsemet Sixtus IV. in Bulla quæ incipit graue nimis edita 1482. vbi ait Assertiones sic respondentium & dicentium Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione & sanctificatione Virginis festum celebrare, esse falsas & erroneas

neas & à veritate alienas. *Secundo*,
contra est Concil. Trident. sess. 5. cap. 1.
vbi ait, declarat. S. Synodus non esse
sue intentionis comprehendere in decreto
de peccato originali Beatam Virgi-
nem Mariam. Sed N. B. obseruandas
esse constitutiones fæl. record. Sixti
IV. sub pænis in eis contentis quas innouat.

Tertio, contra est, Concil. Basiliense
sess. 36. vbi ait, antiquam esse Eccle-
sie consuetudinem celebrandi hoc
festum in honorem Immaculatæ Cõ-
ceptionis Virginis Mariæ &c Quarto,
quia in Inuitatorio offic. Conc. approb. ab
Eccles. dicitur sic: Immac. V. M. Conc. ce-
lebremus Christum eius præseruatorem
adoremus Dominum. Item in oratio-
ne eiusdem festiuitatis dicitur sic: quæsu-
mus vt qui ex morte eiusdẽ filij sui præui-
sa, eam ab omni Labe præseruasti &c.
atqui vt constat ex SS. PP. Augustino,

Ber.

Bernardo, Thoma, supra citatis, Ecclesia nunquam honorat neque Conceptionem, neque natiuitatem, neque martem peccato infectam Ergò. V. cõtra respondentem est, quia si Ecclesia honoraret tantummodo illam sanctificationem, quæ fit intra quadrantem, diem vel menses postea, etiam deberet honorare non tantum natiuitatem, sed etiam Conceptionem Ioan. Baptiste, quia antequam exiuerat utero, fuit sanctificatus, & obtinuit Conceptionem spiritualem in gratia, sed tamen Ecclesia hoc non facit, nec vult facere, ergò.

Sexto, quia, sic respondens, posset etiam proterue respondere simili modo, dicendo, quod Ecclesia honoret natiuitatem B. V. non quia in primo instanti aut momento nascendi, fuit sancta, sed quia intra quadrantem vel diem postea fuit sanctificata; quæ omnia responsa, sunt indigna auditu inter fideles. Ergò multò magis

gis principalis responsio. Ecce quantum corrumpit Babilon illa respondentis; si ergò unquam postea, audieritis sic respondentem, risum teneatis amici.

Vndecima Ratio pro exemptione B. V. à peccato originali, & lege incurrendi illud, est omnimoda paritas sumpta ab alia lege æqualis tenoris, generalitatis & rigoris in sacra scriptura, à qua tamen Moyse & Paulus fuerunt exempti.

S*icut generali verborum tenore sacra scriptura narrat omnes Adami posteros, eius peccato communicasse, dicendo Rom. 5. in quo omnes peccauerunt &c. ita prorsus pariformi imo rigorosiori verborum tenore, sacra scriptura promulgat, Deum, (nemine dempto) nulli esse visibilem, dum in hac vita de-*
gimus,

gimus, sic enim occasione Moysis cupientis Deum videre, conditum est exodi 33. his verbis. Non videbit me homo, & viuet. Item Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam. Item 1. ad Timot. 1. ubi de Deo dicitur. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest &c. in quibus authoritatibus NB. ista negatiua vniuersalia, scilicet Nemo, Nullus, Non, quæ quia sunt negationes vniuersales, sunt malignantis naturæ, ut aiunt Logici, idest, Neminem eximentes. Sed nihilominus ex num. 12. s. Thom. 1. p. q. 12. art. 12. s. August. lib. 22. ad Gen c. 17. s. Basil. hom. 1. inferunt contra tot alios DD. Moysen fuisse exemptum, ab illa lege tam vniuersali & negatiua, adeoque Deum vidisse adhuc in hac vita. Id ipsum priuilegium creditur Paulo datum, quia 2. Corinth. 12. de ipso dicitur sic, raptus est in Paradisum & audiuit arcana

174 Ros. IV. Ration. & Mirac.
cana, quæ non licet homini loqui.
Si ergò rationabiliter credendum est san-
ctos istos tanta sanctitatis & authorita-
tis apud Deum extitisse: ut in illorum gra-
tiam fuerit dispensatum in lege tam rigoro-
se & vniuersaliter negativa, quanto ma-
gis credendum? Dei genitricem, sacra-
rium Spiritus Sancti, inuenisse gratiam
tam plenam apud Deum, ut inde eam
exemerit ab vniuersali illo peccato origina-
li, eiusque lege.



Duodecima Ratio pro Immaculata
 Conceptione B. V. sumitur ex eo
 quod pœna appropriata originali
 peccato in fœminis non fuit in B.
 V. & consequenter nec ipsum pec-
 catum.

Illa Columna veritatis sancta Mater
 Ecclesia, verissimum adagium nobis re-
 liquit in illa oratione super populum feria
 sexta post Cineres: ubi sic ait, nulla ei
 nocebit aduersitas, si nulla ei domi-
 netur iniquitas: Sicut enim pœna est
 assecla culpæ, ut infertur ex s. Atha-
 nasio lib. 3. contra Arian. Ita peccati cui-
 tatio, est pœna elongatio. Atqui pœnalis
 aduersitas, quæ ex ordinatione Dei est
 Assecla peccati originalis in fœminis, non
 fuit in B. V. ergo nec iniquitas originalis,
 probatur hæc consequentia, nam pœna spe-

N

cia-

cialiter appropriata peccato originali. fœ-
 minarum, illudque indicans, est dolor
 partus vt constat ex Gen. 3. vers. 16.
 Mulieri quoq; dixit Deus --- in dolo-
 re parie filios tuos &c. ubi Lyran. ait
 hic ponitur punitio Malieris in specia-
 li --- Huic autem pœnæ vt dictum est non
 subfuit Beata Virgo, vt cum sancto
 Bernardo testatur meus Seraph. D sanctus
 Bonauentura in Comment. super 11. Luc.
 dicens, fuit autem venter Virginis Bea-
 tus propter tria priuilegia, quia (vt di-
 cit Bernardus) fuit sine corruptione
 fœcunda, sine grauedine grauida,
 sine dolore puerpera &c. si ergò aduer-
 sitas huius pœnæ non dominabatur in B. V.
 hinc rectè infertur, quod in ea non præ-
 dominabatur originalis iniquitas.

Admonitio notabilis.

AD percipiendum sanam scientiam, & energiam sequentis rationis necessarissimum est prænotare, ista sequentia. primo de immortalitate primi hominis, & causis eius: secundo de mortalitate nostra & causis eius, tertio de mortalitate Christi & causis eius; Ita quæ in primis certissimum est ea certitudine, qua certa est nostra fides, quod perseverante statu innocentie homines non fuissent actualiter mortui, neque mortis morsum sentirent: ut constat in primis ex sapientia 2. ibi, Deus creavit hominem inexterminabilem. Item ex C. Millevit. can. 1. ibi quicumque dixerit, quod Adam siue peccaret siue non peccaret, moreretur in corpore non peccati merito, sed necessitate naturæ, Anathema sit. Secundo certissimum

est, quod hac immortalitas non fuit conditionaturæ, sed beneficium gratiæ. ut constat. 1. ex Pio V. & Gregorio XIII. qui damnarunt hanc propositionem 75. Bay dicentis immortalitatem primi hominis non fuisse gratiæ beneficium, sed conditionem naturæ. Item constat exinde, quia ad conseruationem vitæ suæ et suæ immortalitatis indigebat alimento ut patet ex Gen. 2. ibi, Tulit Deus hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis, præcepitq; ei dicens. Ex omni ligno Paradisi comede. Item ex s. Aug. l. qq. vet. & noui test. tom. 4. in Append. ubi ait. Corpus Adæ tale non erat, quod dissolui impossibile videretur. Tertio, certum est, quod media & causa efficiens conseruatiua, huius immortalitatis, fuit comestio fructuum arboris vitæ, ut testatur s. August. loco iam cit. ubi ait, Gustus arboris vitæ corra-

ptionem corporis inhi-bebat. *¶* lib. 13. de Ciuit. cap. 20. ubi ait, De ligno vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndequaue subreperet: vel senectute confecti, decursis temporum spatijs interirent. quarto, *Certissimum est, quod triplex est causa mortis nostræ pro hoc statu naturæ lapsæ: prima est conditio naturæ ex contrarijs compositæ, ut patet ex sap. 5. vers. 13. ibi, nos nati continuo desinimus esse. secunda causa est peccatum, ut constat ex Rom. 8. ibi corpus propter peccatū mortuum est. tertia causa est absentia, siue separatio à ligno vitæ ut constat ex s. Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 23. ubi ait, à ligno vitæ separatione iustissima, mortis in eis etiam corporalis, necessitas facta est cum qua nos necessitate nati sumus. Unde ex prima causa, nostra mors est naturalis, ex secunda est cul-*

pabilis, & moralis siue legalis. ex tertia causa est pœnalis. Quinto, Certum est quosdam etiam SS. DD. & PP. videri omnino esse illius sententiæ, quod post peccatum, mansisset Adam immortalis, si concessus fuisset ipsi esus ligni vitæ, ita docent s. Epiphani. Her. 64. & s. Iren. lib. 5. aduersus hæres. cap. 37. ubi sic ait: eiecit eum de Paradiso, & à ligno vitæ longe transtulit, vt non perseveraret NB. semper transgressor, neq; immortale circa eum esset & interminabile malum &c. Id etiam probant ex Gen. 3. ibi, Nunc ergò ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum emisit eum Deus de Paradiso voluptatis &c.

E contra posito casu quod Deus ante peccatum ex sua suprema & beneplacita authoritate, priuari fecisset Adamum aeris
cle-

clementia data contra elementorum violentiam, protectione diuina, & Angelica custodia contra Dæmonis insidias, plenipotencia dominij contra bestiarum insolentias, quæ tria conseruarunt Adam contra causas extrinsecus offendentes: Item si ipsum spoliasset, originali innocentia data contra rebellem insolentiam carnis aduersus spiritum: Esu arboris vitæ, data contra humoris radicalis deficientiam: Tunc in isto calu, saluo tamen meliori iudicio, dicendum omnino videtur secundum hætenus notata præsertim ex s. Augustino quod Adam debuißet mori, etiamsi non peccasset. Ratio huius adhuc est ex s. Augustino lib. 14. de Ciuit. cap. 26. vbi de fructu arboris vitæ & alijs cõseruatiuis Adæ sic: ait, cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ, ne illum NB. senectâ dissolueret &c. si hæc conditionata sunt vera stante casu rerum, qui

tunc fuit, quanto magis erit verum, quod senectū dissolueret, & mors morderet in casu iam posito etiam si peccatum non interuenisset. Sexto, Certum est, quod ex natura rei, licet non ex dispositione communi Dei sola cōditio naturæ compositæ ex contrarijs se inuicem consumentibus sit sufficiens causa ad moriendum, ut patet exemplo s. August. de Genesi contra Manichæos cap. 19. ubi ait, In pecoribus fœminæ cum doloribus (addo etiam cum morte subinde) pariunt filias & hæc est in illis mortalis cōditio, potius quam pœna peccati &c. Si ergo in pecoribus sola compositio naturæ ex contrarijs, sit sufficiens causa ad dolendum, infirmandum, moriendum, ergo ex natura rei esset etiam in nobis sufficiens causa moriendi, licet non ex iam facta ordinatione Dei. Septimo, tandem certissimum est, quod licet Christus quæ homo fuerit, inno-

innocens, impollutus, segregatus
 ab omnibus peccatis, & licet eius mors,
 fuit multum liberalis, ut constat ex Is.
 53. ibi, oblatum est quia ipse voluit
 &c. multum etiam misericordialis ut ait
 sanctus Augustinus tr. 3. in cap. 1. Ioan-
 nis: Dicens, mors in Domino munus
 misericordiae erat, non poena pecca-
 ti. Nihilominus quantum ad naturam rei
 ex parte aliqua, Corpus Christi ut ait
 sanctus Augustinus lib. de Baptismo par.
 cap. 2. habuit necessitatem moriendi:
 Primo, propter causam finalem ut patet
 ex 4. ad Galat. ibi, misit Deus filium
 suum factum ex muliere, factum
 sub lege, ut eos qui sub lege erant re-
 dimeret. Secundo, ex causa materia-
 li & conditione naturali, ut patet ex san-
 cto Augustino lib. 13. de Civit. cap. 23.
 ubi de Christo ait, Tale habuit cor-
 pus, quale necessitatem habebat mo-
 riendi.

riendi. *Et clarius lib. 2. de peccat. mer. cap 29. ait, quia mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, vt ad mortem etiam senescendo, illa caro peruenire potuisset, nisi innocens fuisset occilus &c. iam ex his 7. notatis roborabitur sequens ratio*
Et unicum aduersariorum fundamentum eradicabitur.



Decima tertia Ratio pro Immaculata
 Conceptione V. M. sumitur inde,
 quia mors B. V. non contigit in pœ-
 nam peccati originalis, vt contin-
 git in cæteris hominibus ex Rom.
 8. sed ex conditione seu pœnalita-
 te naturali compositæ naturæ ex
 contrarijs, propter absentiam à li-
 gno vitæ; & sic annullando vni-
 cum Herculem & fundamentum
 Aduersariorum, nostra pia senten-
 tia corroboratur & confirmatur.

HActenus firmando nostram senten-
 tiam in fauorem B. Virg. adduxi-
 mus rationes directè probantes, & convin-
 centes nostrum intentum. Nunc autem ad-
 ducimus hanc, ad annullandum vnicum
 fundamentum, quod in contrarium præ-
 tendi posset, & consequenter ad concluden-
 dum

dum magis nostrum intentum, in doctrinali enim lucta, non est firma propriae opinionis assertio, alienae, raboris occulatio, ut pulchrè inquit doctissimus noster VVading. inopusc. de Conc. cap. 3. praestat igitur in huiusmodi lucta, imitari Angelum illum, qui ut dicitur Gen. 32. Luctans cum Iacob usq; mane, ut tandem eum superaret, tetigit, inquit scriptura neivum femoris eius, qui statim emareuit, faciamus ergo & nos similiter & ordiamur sic.

Quamvis liceat & valeat argumentum sumptum ex Rom. 5. & 8. ad probandum mortem in ceteris communis sortis hominibus esse afflictam & poenam peccati originalis aliquando habiti, tamen loquendo de B. V. quae nec primam similem visa est nec habere sequentem, nec licet nec valet argumentatio sumpta ex morte B. V. ad concludendum eandem aliquando

quando peccatum originale habuisse. Ergo
 corrumpit totum fundamentum aduersario-
 rum sumptum ex Rom. 5. & 8. vbi gene-
 rali tenore loquendi asseritur, quod per
 vnum, peccatum intrauit in mundum,
 & per peccatum mors, & ita in om-
 nes mors pertransiit. Primo non licet, hęc
 argumentatio quia Summi Pontifices, Pius
 Quintus & Gregor. Decimus tertius, coti-
 demnarunt septuagesimam hanc proposicio-
 nem Baij. videlicet Beata Virgo mortua
 est propter peccatum ex Adam con-
 tractum, omnesque eius afflictiones
 in hac vita sicut & aliorum iustorum
 fuerunt vltiones peccati actualis vel
 originalis &c. hanc & ceteras proposicio-
 nes in Bulla recensitas, Pontifices vocant
 hereticas, erroneas, suspectas, te-
 merarias, scandalosas & piarum au-
 rium offensiuas. ita refert Vading. c. 2.
 num. 5. & cap. 5. num. 37. In qua pro-

positione sunt tres partes. Prima, Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum. Secunda eius afflictiones in hac vita, fuisse ultiones peccati originalis, nam *ut refert VVadingus opusc. de Concept. c. 5.* Bayius constantissime protestatus est, se nunquam intendisse, neque in docendo neque in scribendo arguere B. V. peccati actualis, sed solum originalis. Tertia pars, aliorum iustorum afflictiones in hac vita fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. & hac pars loquendo de pœna satisfactoria, videtur sana doctrina, quia *Concil. Trident. sess. 5. can. 2.* ait, si quis dixerit, Inquinatum (supple Adam) illum, per inobedienciæ peccatum, mortem & pœnas corporis sui, in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum --- Anathema sit. *Et s. August. lib. 1. Retr. cap. 9.*

Et lib. 3. de libero arbitr. cap. 18. ait, om-
 nis pœna si iusta est, peccati pœna est,
 & supplicium nominatur. Itaque
 solummodo, prima, & secunda pars pro-
 positionis damnata videtur. Ergò iam
 imprimis non licet ex morte B. V. infer-
 re aut argumentari, quod fuerit in illa pec-
 catum originale. Iam oportet probare, quod
 sicut non licet; ita nec valet ista argu-
 mentatio; probatur ergò varie.

Primò sic, nam mors, que tanquam
 affecta intravit per peccatum originale, ut
 dicitur Rom. 5. de qua Deus minatus est
 Adæ Gen. 2. vers. 17. non est sola mors
 corporis, que sola contigit in B. V. sed est
 quadruplex illa mors, quam Deus commi-
 nabatur Adæ, ut expresse docet S. Aug.
 mox citandus. Prima est mors animæ, que
 fit priuando illam gratia, que est vita ani-
 mæ eiusque vnitua cum Deo.

Secunda, est mors corporis, qua pri-
 uatur

uatur corpus anima viuificante.

Tertia, est, totius hominis compositi, constans ex illa duplici morte. Et hæc triplex mors appellatur mors prima.

Quarta, ergò mors constans ex triplici morte, est carentia vite æternæ, & mancipatio ad pœnas mortis æternæ & hæc vocatur mors secunda. Hæc itaque quadruplex mors est, quæ intrauit per peccatũ originale, & quam Deus comminabatur Adæ Gen. 2. ita express. s. August. lib. 13. de Ciuit. cap. 12. vbi sic ait, cum ergò requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si mādātā trāsgrederentur acceptam, virũ animæ? an corporis, an totius hominis, an illam quæ secunda dicitur? Respondendum est, omnes ---- & infra concluditur sic, quando ergò dixit Deus primo illi homini, quem Paradiso constituerat: de cibo vetito qua-

quacunq; die ederitis ex eo, morte
 moriemini, non tantum primæ mor-
 tis partem priorem vbi anima priua-
 tur Deo: nec tantum posteriorem vbi
 corpus priuatur anima: nec solum ip-
 sam totam primam, vbi anima à Deo
 & à corpore separata punitur: sed
 quidquid mortis est vsque ad nouissi-
 mam, quæ secunda dicitur & qua
 nulla est posterior, comminatio illa
 complexa est. Atqui propter peccatum
 originale, *Beatissima Virgini* non subiit
 mortem animæ, neque mortem secundam
 æterna gehenna subiit, aut subitura erat,
 vt patet 1. ex Summorum Pontificum
 intentione nam secundum illos in Bulla
 contra *Bayum*, est hæreticum, scan-
 dalosum, temerarium, piarum au-
 rium offensiuum, dicere, quod B.
 V. sit mortua corporaliter propter
 peccatum originale, ergò multò magis

erit temerarium, scandalosum, & *U*
piarum aurium offensiuum dicere, quod
propter peccatum originale sit Deo
mortua, morte animæ, aut secunda
morte gehennæ, & sic, propter ori-
ginale non est mortua, illa morte quam Deus
comminabatur Adæ, Item adhuc secundo
probatur quod non fuerit mortua morte
animæ, quia ut dicitur Luc. 1. fuit gra-
tia plena etiam à primo instanti suæ
Concept. NB. ut hætenus probatum
est, & ut docet S. Athanasius serm. 1.
de Annuntiat. dicens, quod Virtus Al-
tissimi obumbravit ei per omnia tempora
etiam Conceptus. Item quod non fuit
mortua morte secunda patet, quia non in
executione, ut constat ex eius assumptio-
ne, ideoque cantat Ecclesia dicens, as-
sumpta est Maria in Cælum &c. non
etiam in diuina ordinatione, quia ab eterno
scripta est in libro prædestinationis ad glo-
riam

riam, unde propter hanc prædestinationem
 S. Aug. lib. 13. de Civit. c. 23 ait, quod
 licet mors prima (qua scilicet corpus mo-
 ritur) sit omnibus communis, tamen
 ibidem ait, quod mors secunda non
 est communis omnibus, quia non
 contingit prædestinatis, quos à secun-
 da morte per mediatorem, Dei gratia
 liberat &c. Ita q; secunda mors solis re-
 probis est communis & excepta B. V. pri-
 ma mors corporis & animæ & totius ho-
 minis est etiam prædestinatis communis.
 Ex his ergo constat, quod mors B. V. non sit
 mors prima animæ, nec in sui Conc. ut pro-
 batum est, nec in propria operatione, ut
 constat ex Trid. sess. 6. can. 23. multo mi-
 nus fuit mors secunda, ut iam patuit, igitur
 sola fuit mors corporis. Sed sola
 mors corporis, non est illa, quæ intrauit
 cum peccato in mundum, ut dicitur Rom.
 5. nec est illa quam Deus comminatus est

Adæ Gen. 2. vt testatur communis Ecclesiæ Magister S. August. ubi supra. Ergo ex sola morte corporali B. V. non valet argumentatio ad probandum, quod fuerit in peccato originali.

Tertio, adhuc probatur quod ista argumentatio ex morte B. V. non valet, quia secundum interpretationem Eccles. non est mortua in ultionem ullius peccati, sed potius ex naturali conditione naturæ composita ex contrarijs, ut patet ex collecta secreta Ecclesiæ in festo Assump. B. V. in Missali Romano, ubi dicitur de B. V. sic, quam et si pro conditione carnis migrasse cognoscimus &c. Id ipsum patet ex Martyrolog. Vsuardi & Adonis ad 7. Kal. Septemb. & ad 6. Idus eiusdem, ubi sic dicitur, pia Mater Ecclesiæ, quæ suis obseruationibus integerrima fide consistit, eius (scilicet Virginis) venerabilem memoriam sic festiuam agit,

agit, ut pro conditione carnis eam
 migrasse non dubitet, ergò secundum
 interpretationem Ecclesiæ, B. V. non est
 mortua in ultionem peccati originalis,
 sed ex conditione naturæ compositæ ex con-
 trarijs se inuicem interimentibus; quæ
 quidem conditio ex natura rei est ab intrin-
 seco sufficiens causa ad moriendum, ut pa-
 tet in exemplis supra notatis de pecoribus,
 ac de spoliato donis gratuitis & medijs
 supernaturalibus conseruatiuis sui: præser-
 tim in absentia, & carentia ligni vitæ.

Quarto, Probatur, quia sicut tri-
 plex est pœna ex S. Thoma 1. 2. q. 87. ar.
 6. & 7. quarum prima est medicinalis,
 quæ secundum ipsum nõ habet rationem pœ-
 næ, sed medicinæ, secunda est satisfacto-
 ria, quæ fit in ultionem peccati vel actualis,
 vel originalis. tertia est voluntaria siue
 spontanea, quæ ordinatur ad augmenta-
 tionem maioris meriti, aut subinde ad sa-

satisfactionem pro alio; Ita triplex potest esse mors, prima est satisfactoria in vltionem peccati originalis, de qua Rom. 8. dicitur corpus propter peccatum mortuum est. vel in vltionem peccati actualis quomodo per iustitiam vindicativam Reipublice, moriuntur malefactores. secunda est mors voluntaria, qua morte mortuus est Christus ut constat ex Is. 53. cap. ibi. Oblatus est quia ipse voluit. tertia mors potest esse medicinalis vel quia præservat à malis, quo sensu intelligitur illud sap 4. raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, placens Deo factus est dilectus, et viues inter peccatores translatus est: vel ut ait S. Thomas est medicinalis, quia est ad augmentum maioris boni, licet in detrimentum minoris boni, ¶ in talicasu huiusmodi detrimentum non est inquit S. Doctor simpliciter malum homini,
hęc

nec propriè pœna ut patet exemplis, nam damnum in bonis fortuna ad augmentum & acquisitionem sanitatis corporalis, non est propriè pœna nec malum homini: Item damnum corporis, ad augmentum gloriae animæ, non est propriè malum aut pœna homini, sed comparatis comparandis magis est bonum, atqui mors B. V. fuit in hoc secundo sensu medicinalis, conducing ad augmentum meritorum & maiorem gloriam animæ, non autem fuit satisfactoria scilicet in ultionem ullius peccati, ergò iterum ex morte B. V. non rectè infertur, quod fuerit in peccato originali.

Quinto Probat, quod non valeat ista argumentatio, quia secundum SS. PP. non est mortua in ultionem peccati, sed ex conditione naturæ intrinsecè mortalis, ut patet primo ex S. Augustino in tract. de Assumpt. B. V. in appendic. tom. 9. cap. 2. ubi ait, memores conditio-

nis humanæ, mortem illam subijsse
temporalem dicere, non metuimus.
Item c. 4. *ibidem* ait, eam dicimus huma-
næ sortis mortē subijsse. Item ex S. Da-
masc. orat. prima de dormitione B. Virg.
id ipsum patet, ubi sic ait; quæ in par-
tu naturæ leges excesserat, nunc ip-
sius naturæ legibus subest, atq; im-
maculatū corpus morti subiicitur. &c.
Hanc doctrinam in hac ratione traditam de-
fendunt unanimiter. B. Angelus de Pas.
lib. 5. expos. in symb. cap. 22. Albertus
Pighius. Ambros. Catar. Ioan. Gerson.
serm. de Concept. prope finem. Guttierus
à Træio ante centum annos in cap. 5. ad
Rom. sect. 17. Michael Glycas ante quin-
gentos annos in 3. part. annal. Cardinal.
Baronius anno 48. & VVadingus in opusc.
de Concept. qui una cum alijs citatis præ-
sertim recentioribus, hanc sententiam ap-
pellant piam, & ab omni errore im-
munem,

munem, unde immeritò Author opusculi de Conceptu B. V. ad Leonem Decimum inuehitur in hanc doctrinam, tanquam non sanam, nam esse sanissimam, constat ex supra notatis & hæcenus dictis, & ex Authoribus iam relatis.

Decima quarta Ratio sumitur ex reuelatione facta pro Immaculata Conceptione Mulieribus sanctis ab Ecclesia canonizatis, quarum reuelationes præmissis maturo et debito examine ab Eccles. sunt approbatæ.

Licet non sit credendum omni spiritui, tamen quando probatur, quod ex Deo sit, utique credendum est spiritibus sic probatis, ut colligitur ex doctrina Apostoli 1. Io. 4. v. 1. Item licet apud Liliam dicatur, mulieri ne credas, ne mortuæ quidem, nihilominus credendum

dum esse mulieribus sanctis & in virtute
 probatis, constat ex Marci Ultimo,
 ubi narratur, quod Dominus indignaba-
 tur Apostolis, eò quod non crediderunt
 Marie Magdalene narranti Dominum re-
 surrexisse & se illū vidisse, unde v. 14.
 ibidem dicitur sic, Recumbentibus illis
 undecim apparuit (scilicet Domi-
 nus) & exprobrauit incredulitatem
 eorum & duritiam cordis, quia his
 qui viderant eum resurrexisse, non
 crediderunt. Sed reuelatum est mulieri-
 bus sanctissimis canonizatis, & in virtu-
 te probatis B. Virginem fuisse immaculatè
 conceptam, & illarum reuelationes sunt
 ab Ecclesia approbatæ, ergò credendum est
 illis, minor propositio patet, nam sic reue-
 latum est B. Birgittæ lib. 5. Reuelationum
 & lib. 6. quæ approbatæ sunt à Gregorio
 XI. Urbano Sexto, Bonifacio Nono, &
 constat ex Rosario SS. PP. per quindecim
cim

cim, secula in testim. Secundo, seculi 14.
 Id ipsum fuit reuelatum S. Elisabethæ S.
 Mechtildi & etiam S. Nicolao ut vbi
 supra dictum est. Ergò omninò credendum
 est Beatam Virginem esse Immaculatè con-
 ceptam. Si respondes S. Catharinae Se-
 nensì contrarium fuisse reuelatum ut qui-
 dam aduersarius ait apud Aretinum in
 summa dist. 3. q. 1. art. 5. sed contra re-
 spondentem ex eodem Aret. ibidem dicen-
 dum est quod S. Catharina nullam huiusmo-
 di reuelationem habuit, quia S. Antoni-
 nus, Raymundus, Stephanus Carthu-
 siensis, & Fr. Thomas Senensis, qui
 vitam miracula, & reuelationes S. Ca-
 tharinae studiosè quæsierunt, diligen-
 terq; notarunt, tamen de hac reuelatione
 tanti momenti: nec mentionem fa-
 ciunt, ideo pro apocrypha & suspecta ha-
 benda est, ut testantur Suarez tom. 2. in
 3 par. dist. 3. sect. 5. Lezana in Apolo-

gia sol. 67. Archiep. Armachan. in testim.
14. seculi.

Decimaquinta Ratio sumitur pro Immaculata Conceptione ex eo, quod generales locutiones sacrae scripturae de conceptu omnium in peccato originali non probant secundum rectam intelligentiam & spiritum litterae B. V. fuisse in originali peccato conceptam.

Nihil est, quod contra sanam & piam haecenus doctrinam traditam, obijci posset, quod speciem vel apparentiam habeat, magis quam locutio illa generalis sacrae script. Rom. 5. vers. 12. ubi sic habetur, per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt &c. in quo

quo passu, sicut in alijs passibus similis tenoris illa particula, omnes, facere videtur colorem, apparentiam, vel speciem dubij: Sed nihilominus in rei veritate, & secundum sanam intelligentiam, non esse dubitandum, probatur sequentibus exemplis, & instantijs, ad quas prænotandum est, quod sicut certum est multum inter se distingui Cōceptionem, & natiuitatem, peccatum originale, & actuale, ita certissimum est, & extra omne dubium in Ecclesia Catholica, quod Natiuitas B. Virg. fuerit Sancta, Item quod fuerit B. V. semper præseruata ab omni peccato actuali siue mortali, siue veniali, ut constat ex Tridentino sess. 6. can. 23. & tamen contra ista duo puncta certissima apud fideles, inueniuntur in sacris litteris generales locutiones, quæ ad primam apparentiam dubium facere viderentur, ut patet primo contra Natiuitatem

tem Ecclesiastici 40. ibi iugum graue est super filios Adam à die exitus de ventre Matris eorum, vsq; in diem sepulture in Matrē omniū &c. *Ubi per li exitus, significatur Natiuitas hominum & per li iugum graue intelligitur peccatum; sed licet, loquela sit generalis, tamen natiuitas B. V. Natiuitas Ieremie vt constat ex Ieremie 1. Natiuitas Ioan. Baptiste vt constat Luc. 1. Fuerunt natiuitates sine iugo peccati, & sancte. Item Apostolus ad Ephes. 2. ait, omnes eramus --- natura filij ire, id est, inquit Lyranus, omnes eramus nati in peccato originali, quod dicitur peccatum naturale &c. sed nihilominus constat ex sacra scriptura tam supra citata Ieremiam & Ioan. Baptistam non fuisse natos filios ire, nam Ierem. 1. de Ieremia dicitur antequam exires de vulua sanctificauite. Et de Ioan. Baptista Luc. 1. dicitur,*

citur, Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ.

Secundo, Contra Innocentiam à peccatis actualibus apparentiam faceret in primis illa generalis loquela 2. paralipom. 6. ibi. Non est homo qui non peccet. Item Iacobi 3. ibi, in multis offendimus omnes. Item Ecclesiastes 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet &c. Sed nihilominus, secundum sanam doctrinam, & summę sapientiæ regulas, solvuntur ista scripturæ: Et Natiuitas B. V. eiusque innocentia à peccatis actualibus propugnatur. Cur ergò non valerent similes sapientiæ distinctiones, & responsiones, pro scripturis generalibus contra Immaculatam Virginis Conceptionem, apparentiam facientibus? licet ceteros homines comprehendant; Nam uti excellit B. V. in alijs prerogatiuis cur non in hoc? unde S. August. epist.

77. ad Dardan. post medium ait, in miraculis habendum est diuinæ potentie, non ad humanæ trahendum exemplar naturæ. Et S. Ildephonsus Archiep. Toletanus lib. contra disput. de Virg. Maria ait, Cogitent isti disputatores naturarum leges, cogitent & diuinarum rerum virtutem, quia non ex natura rerum, diuinæ leges pendent, sed ex diuinis legibus, naturæ rerum, & leges manare probantur.

Exemplis etiam patet, quod generalis locutio in scripturis non semper intelligenda est, ut sonat. Primo ex Gen. 6. Omnis caro corruerat viam suam super terram; id est ut exponit Lyranus, quantum ad peccata actualia & tamen ibidem ab illa generali locutione excipitur Noe, ibidem sic, Noe vir iustus inuenit gratiam coram Dño, cum Deo ambulauit &c.

Secundum exemplum est ex Ecclesiastici

49. *ibi.* Nemo natus est in terra qualis Enoch, quia ipse receptus est à terra &c. *in quo textu illa particula Nemo quæ est vniuersalis significationis negatiuæ, indicat vtique si corticem litteræ spectes, quod solus Enoch fuit translatus à terra in Cælum, Et tamen Elias fuit translatus seu receptus in cælum, vt constat ex cap. 48. antecedenti, vbi de illo dicitur sic, receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Id ipsum de Elia constat ex 4. Reg. 2. ergò ex generali loquela scripturæ contra Immaculatam Conceptionem Virg. Mariæ, nulla adest efficacia argumentandi, sed tantum apparentia dubitandi, sicut patet à simili, in exemplis & instantijs allatis.*

ROSARIVM V.

ET VLTIMVM.

Quindecim Regularum Legum, quibus per applicationem & piam interpretationem B. V. Immaculata Conceptio suadetur.

ADMONITIO.



*V*andoquidem Ecclesiast. 19. v. 18. scriptum sit, quod in omni sapientia sit dispositio legis &c. Ideo huic doctrinae pro B. V. Immaculata Concept. quae (quia omnium palato sapit seu sapida est) merito sapientia appellatur, etiam legum dispositiones patrocinari pie praesummimus ex subsequentibus quindecim Legum regulis, quas ut caeteras bonas, Dei sapientia assistente & di-

Et an-

Et ante factas non immerito reputamus, cum ipsa sapientia Dei prouerb. 8. v. 15. dicat, per me Principes imperant & legum Cōditores iusta decernunt. in his autem 15. regulis exponendis & applicandis ad propositum nostrum, magis piam applicationem, quam iuridicam expositionem prætendimus & profitemur, ne apud nos uti apud multos appareat sutor ultra crepidã.

1 Regula Iuris est, quod opinio communis facit Ius. ex c. de re Iud. l. 1. Sed ex præteritis Rosarijs constat opinionem pro Immaculata Conceptione esse communem in omnium PP. DD. Conciliorum & Vniuersitatum ore, calamo, & conclusione opinionum; ergò de Iure est, ut hanc sequamur. Numerum autem vniuersitatum in fine huius Rosarij inuenies.

2 Regula est, quod ratio & veritas conuertantur. cap. frustra 8. dist. Baldus in l. nō omnium ff. de legib⁹. Sed ut cor-

Stat ex Rosario antecedenti 15. Rationum, multiplex ratio suadet cum energia hęc opinionem piam, ergo hęc opinio pia est ipsa Veritas, ex ista regula Iuris.

3 Regula est, vbi facinus obscurum dubiumq; est, & non euidens, pulchriori fauet ius Cæsarium. Bald. leg. *versa quæ autem cod. quorum appellationes. Blanch. l. finali Cod. de quæst. sed secundum S. Thomam 3. p. q. 27. art. 4. in B. Virg. venustate, quoad animam & corpus impletur illud cant. 4. Tota pulchra es & macula non est in te. Vnde S. Dionysius Areopagita ad eod venustatem maiestatemq; vultus Mariani in admiratione habuit, ut in Epist. ad S. Paulum sic scripserit: Si tua doctrina & Deus non me docuisset, hanc verum Deum credidissem. Ita testatur Mominius celeberrimus Ecclesiastes. serm. super Misus est, in suo diario. ergo fauendum est, secundum*

dum omne ius B. V. dum dubitatur an fuerit Immaculatè concepta.

4 Regula est, Honestę Matres familias, Matronęue intelliguntur, quę nunquam probro se commacularunt l. 41. ff. de rit. Nupt. leg. 1. §. ¶ notandum ff. de vent. in spic. sed imprimis secundum Conc. Trident. can. 23. B. V. nullo unquam probro actuali se commaculauit, ergò nec originali, iuxta aliam regulam Theologicam S. August. ubi supra lib. 5. contra Iul. cap. 9. 10. ¶ 7. ubi ait, de Christo sic. Peccatum maior fecisset, si paruulus habuisset, id est, si in infantia homo habet originale, in etate adulta habebit actuale.

5 Regula est, gratus quilibet censendus, nisi ingratus probetur leg. seruus. l. Centurio. ff. de manu testam. sed ut testatur Gabriel Angelus Luc. 1. Maria fuit gratia plena &c. ¶ hætenus

nunquam probatum est, nec auctoritate, nec ratione, quod fuerit ingrata ratione peccati originalis, ergò censenda est Deo grata etiam quoad innocentiam originalem.

6 Regula est, Imperator ea privilegia quæ ipse habet, concessit Augustæ. leg. Princeps. ff. de leg. sed Imperator noster Christus, ut constat ex Matth. 1. & Luc. 1. Conceptus est in utero ex Spiritu Sæcto, et natus est ex utero de Spiritu Sæcto, ergo similiter Maria non tantum nata est de Spiritu Sæcto, ut uniuersa credit Ecclesia, sed etiam concepta est.

7 Regula est, Mater gaudet privilegio filij ex lege sacris 3. cap. de proximis sacrorum scrimiorum. sed privilegium filij B. V. fuit concipi sine peccato originali ut dictum est, ergò.

8 Regula est, Parentum filiorum vnum corpus & vna caro est. scilicet in causis agendis ex leg. cap. impub. §. eo

verò de inutil. stip. ut refert Salazar in
 defens. pro Immac. Concep. cap. 26. Vnde
 S. Augustinus homil. 4. de Assumpt. sic ait,
 Si natura Matris est filius, conueniens
 est ut sit & filij Mater, quantum per-
 tinet ad eandem reciprocam substan-
 tiam, homo de homine, caro de car-
 ne, Mater à filio, filius à Matre, non
 ad vnitatem personæ, sed ad vnita-
 tem corporalis naturæ. Atqui caro
 Christi fuit concepta & nata sine peccato
 originali ergò & caro Virginis Matris.

9 Regula est. Quæ veniunt ex bo-
 na coniectura, vera esse dicuntur leg.
 fin. de probation. &c. Sed huiusmodi est
 non tantum Conceptio B. V. ut constat ex
 S. Bernardo serm. in 12. Apocal. dicente
 de B. V. sic: longè antea Patribus cœli-
 tus repromissa, mysticis præfigurata,
 miraculis, oraculis prænuntiata pro-
 pheticis &c. sed etiam Immac. Conc. ve-

nit ex bonis coniecturis, cuiusmodi sunt sacra scripturae testimonia extollentia illam supra *Æuam* & omnes mulieres, SS. PP. auctoritates, Bullæ Pontificiæ, fidelium omnium deuotio, miracula, congruentiæ, & rationes allatæ, pro Immaculata Conceptione, quæ utiq; sunt bonæ coniecturæ ergo.

10 *Regula est.* Cū de alicuius libertate iudicatur, sēper in libertatis fauorem, sententia ferēda est *leg. quoties dub. ff. de re iudic. Sed magna libertas est esse immunē à peccato origin. quo mediāte sumus sub potestate Diaboli, ut cōstat ex abt. 26. v. 18. ex 1. Cor. 15. v. 14. ex Luc. 1. in cant. Zachariæ ibi. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. ergo secundum dispositionem legis & Regulas Iuris, hæctenus Pontifices PP. Concilia fauerunt, & fauebunt Immaculatæ Conceptioni.*

11 *Regula est.* Non potest eadem
 res in solidum, simul à duobus Domi-
 nis possi deri. *ut constat ex leg. sicuti S.*
vehiculum ff. accommodati & c. sed Spiri-
tus Sanctus possedit ab initio B. V. ut con-
stat in sensu mystico, ex illo prouerb. 8. ibi.
 Dominus possedit me in initio via-
 rum suarum. ergò Sathanas mediante
 peccato originali nunquam possedit eam: con-
 sequentia, Probatur ex alia Regula Legis,
 sic: possessio præstantissima est illa
 quæ est, antiqua, certa, & conti-
 nua *ut habetur leg. seruit. ff. de seruitut.*
& c. Certa est, si est adeo securã ut non
sit controuersia desuper, Antiqua est,
si ad præscriptionem inducit, Continua
autem, si omnem etiam momētaneam
alterius possessionē excludit & c. ita ex
Iuriscons. refert Salazar in defens. B. V. c.
25. sed possessio qua Deus possedit B. V.
suam genitricem fuit utiq; præstantissima,
 ergo

ergo fuit Certa, Antiqua, & Continua, excludens etiam momentaneam possessionem Diaboli.

12 *Regula est. Falsum esse quod suspectum est. ex leg. Iubemus de falsis leg. Paulus respondit ff. de Verborum signific. Sed dogma contrarium Immac. Conceptioni est suspectum (non quidem adhuc de heresi) eò, quod sit toties ab Ecclesia prohibitum, à tot Concilijs suppressum, à tot uniuersitatibus desertum, ergò secundum regulam Iuris, est habendum ut falsum dogma.*

13 *Regula est. Quod mihi prodest & tibi non nocet, teneris facere. leg. 1. §. deniq; de aqua pluuia arcenda. & ratio legis est hac, nam signum daret inimicitiae, quia cum alteri prodesse posset absq; proprio nocumẽto non fecit &c. Sed Christus potuit absque suo nocumẽto præsẽruare B. V. à pecc. origin. & potestate Dæmonis, & hoc multum prodesset B. V.*
ergò

ergò Christus ut Redemptor hoc facere te-
nebatur: & consequenter fecit. Nam pos-
se, est quandoq; debitum in potestate
& officio constitutis ex leg. *sape ff. de
offic. presid. l. non potest ff. de Iud.*

14 Regula est. Penā esse supplicium,
quo quis ob delictum afficitur, ex *Vul-
pian. leg. si quis de pœn. unde ut idem ait,
pœna est noxæ vindicta l. 131. & 244.
ff. de verb. signific. sed dolor partus qui
est pœna appropriata & debita solis
mulieribus ob peccatum originale,
non fuit in B. V. ergò nec noxa originalis.*

15 Regula est. Non dubium est in
legem committere, qui verba legis
amplexus contra legis nititur volunta-
tem ex cap. *de leg. non dubium quia iuxta
axioma iuris anima & voluntas legis est
legislatoris intentio, sed secundum Trid.
sess. 5. non est intentio Spiritus Sancti.
Quo inspirante locuti sunt sancti Dei homi-*

nes in S. S. Scrip. comprehendere B. V. M. in locutionibus generalibus, quibus aiunt omnes in peccato originali concipi, ergò dubium non est committere contra legem & intentionem Spiritus Sancti ac sacrae scripturae, illum qui vellet inde B. V. obnoxiam esse peccato originali. nam vt dicit. Bald. leg. 1. de seruis fugitiuis generale omne obscurum est, vt omne multiplex dubium. Locutiones autem S. Script. sunt generales & obscurae, dum aiunt quod omnes peccauerunt, ergò. Iterum fallere fidem, est contra quàm dictum conuenit ut sit facere. ex l. 1. ff. de constit pec. sed dictum est Luc. 1. quod B. V. sit benedicta super omnes mulieres, adeoq; super Euam cõditam in iustitia originali, ergò secundum hanc regulam Iuris concludendum est etiam B. V. conceptam fuisse in innocentia originali; nisi velis dicere Deum fecisse contra suum dictum & sic fefellisse, quod

quod Deus auertat, ab animo, ore, & ca-
 lar:io tuo, cum huiusmodi dictum vti & sen-
 tentia contraria, sit contra communem ani-
 morum -- sensum & opinionem, tam intra
 quam extra scholas; quàm autem contra-
 ria scholis sit sententia contra Immacula-
 tam Conceptionem B. V. audi ex Vasq; 3.
 p. d. 117. cap. 2. ubi de nostra sententia
 pro Immaculata Conceptione sic ait nō so-
 lum apud omnes Theologos Schola-
 sticos, sed etiam apud omnes christi
 fideles ita percrebuit, & cū hominum
 sæculis inueterauit, vt nullus ab ea de-
 duci vel dimoueri possit &c. hac ille in
 quorum confirmationem, adiungo hic ex
 Roder. Miranda, Lexana numerum Uni-
 uersitatum quæ hanc sententiam profiten-
 tur. Prima ergo est vniuersitas Parisien-
 sis, quæ allec̃ta Scoti ingenio s̃o dogmate,
 exemplo, & miraculo circa ipsum fact̃o, ideo
 anno 1303. sanciuit nequis ad Lauream

Doctōratus promoueat̄ nisi prius iure iurando spōdeat doctrinam Scoti pro Immac. Conc. tueri: ita testatur Hier. Roderic. resol. 30. Verb. Concep. ex Bacono. Miranda. Secūda est Coloniensis anno 1304. ut idem testatur ex Rodulpho. l. 3. Histor. Tertia est Valentina 1501. Quarta Moguntina, Quinta Oslunensis eodem anno 1501. ut idem testatur ex Surio & Lezana. Sexta Complutensis anno 1617. Septima Salmanticensis 1618. ut idem Roder. refert ex nostro Miranda. l. de Conc. cap. 93. fol. 678. & 600. Octaua Viennensis Vniuersitas mota exemplo, decreto, & voto August. Ferd. III. Imper. gloriosissima memor: se etiam obligauit ad defensionem Immac. Conc. anno 1647. ita refert Mundus Marian. disc. 5. n. 29. & num. 37. ubi fusè & honorifice refert Ferd III. votum, & Columnæ erectionem in foro Aulico Vien. ad honorem B. V. Immacul.


Con-

Conc. eiusq; Assumptionē in Patronā et tutelare Austriae & Austriac. vti etiam in sui patronā assumpsit nostra Religio Franc. in Capit. Gen. habito Toleti anno 1645. prout mihi retulit Adm: Reuer: P: Frid. à Monachio, tunc ob morum grauitatem, virtutum varietatem, electus in diffinit. gen. totius Seraph. Relig. vnde per totū nostrum Ordin. festum Immac. Conc. celebratur sub ritu & solemnitate primae Classis & Patronae, eam inuocando vt suo patrocinio, Demones ab igat, morbos pellat, gratiam tribuat, à noxa liberet, & Immaculatos ad suam sine macula praesentiam in Paradisum perducatur in saecula saeculorum. Amen.

Omnia & singula subiiciuntur pedibus, sapientiori iudicio, & saniori correctioni,
S. R. E. contra quam si quid inuenietur, ex nunc pro tunc
reuocatum volo.



P / 92 27







BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

TT

I

k

215



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRINO

II

I

1

275

52301

246

x-rite

colorchecker



MSCCPPCC0613

